
BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
21 B
3



ÈLOGIA
SANCTORUM

Extra eorum numerum, quæ ab
Ecclesia Romana Horariis
Precibus recitantur,


EPIGRAMMATIS EXPRESSA

A

CAROLO DE AQUINO

SOCIETATIS JESU.

PARS I.





ROMÆ,
Ex Typographia Rochi Bernabò, MDCCXXX.

SUPERIORUM PERMISSU.



AD LECTOREM.





UM anno ſuperiore publici juris fecerim Epigrammatis reddita Sanctorum Elogia, quæ ab Eccleſia Romana Horariis Precibus recitantur, reliquorum tibi additiones in præſentia repræſento; ſed modio, ut ajunt, majus auctarium. Integrum Sacrorum Agminum numerum me eſſe complexum, univerſumque eorum cenſum inſtituiſſe, fuge credere. Bibliothecas, quæ ipſorum acta comprehendunt, adire, ſcrinia excutere, præmagnæ molis volumina evolvere, gladiatoriæ firmitatis fuerit; nedum ut pares tanto oneri vires afferri potuiſſe exiſtimes ab ingraveſcentis ætatis Scriptore; præſertim hanc tibi Operam navante in ſeceſſu Tiburtino, ubi non eſt, quod multis tibi perſuadeam, eximiæ agri feracis ubertati, haudquaquam parem librorum copiam, & idonea ad manum ſubſidia



ſuppetere . Immenſum ea cauſa laborem declinandi gratia , de iis dumtaxat ſcribere ſum aggreſſus , quorum Vitæ ab illuſtri Scriptore Laurentio Surio recenſentur ; ejuſdem Hiſtorici chronologicam porrò dierum ſeriem ſubſecutus . Aequo , Lector , ut ſoles ; animo , levidenſi hoc xeniolo fruere ; dum ad alteram Epigrammatum partem perficiendam adjungere animum non gravabor , ſi Civium Supernorum, quos obnixè oro , obteſtorque , deprecatione, propitium Numen annuerit , me , ut cum Horatio loquar .

. . . . integra
Cum mente , nec turpem ſenectam
Degere , nec cythara carentem .



CA-

CAROLUS STORANUS

Societatis Jesu in Provincia Romana Præpositus Provincialis.

CUm primam partem operis, cui titulus: *Elogia Sanctorum extra eorum numerum, quæ ab Ecclesia Romana Horariis Precibus recitantur, Epigrammatis expressa à Carolo de Aquino Soc. Jesu*, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate nobis à R. P. Francisco Retz Vicario Generali ad id tradita, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras, manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ die 14. Novemb. 1730.

Carolus Storani.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſc. Bojanen. Vicesg.

APPROBATIO.

JUbente Reverendiſſimo Patre Jo: Benedicto Zuanello Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, expendi Opus inſcriptum: *Elogia Sanctorum extra eorum numerum &c. Auctore Carolo de Aquino Soc. Jeſu, pars I.*, nihilque in eo deprehendi, quod deflectat de orthodoxa Religione, caſtiſque moribus Sanctorum Virorum, quorum laudes, pius, & elegans Scriptor perſequitur.


Romæ in Cœnobio S. Mariæ ſupra Minervam XVI. Kal. Decembr. MDCCCXXX.

Fr. Thomas Vincentius Moniglia Ordinis Prædicatorum.

AP-

APPROBATIO.

Ex mandato R̃mi P. Joannis Benedicti Zuanelli Magistri Sacri Palatii Apostolici attentè perlegi librum, cui titulus est: *Elogia Sanctorum extra eorum numerum, quæ ab Ecclesia Romana Horariis Precibus recitantur, Epigrammatis expressa ab Admodum Reverendo Patre Carolo de Aquino Soc. Jesu Theologo*: Nihil prorsus occurrit, quod, vel Catholicis Sanctæ Fidei dogmatibus, vel sanctis moribus obesse possit: Immo plura animadverti, quæ & pietatem legentium, & linguæ latinæ culturam promovere possint. Hac die vigesimaprima Novembris 1730. Ex Monasterio S. Stephani supra Cacum Congregationis Silvestrinæ.



Ego Ignatius Abbas Cellesius.

Imprimatur,

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apostolici Magister.



ELOGIA SANCTORUM
MENSIS JANUARII.

1. *Januarii*.

S. CONCORDII Martyris.

EPIGR. I.

MAgnanima irrides rabidi dum voce Tyranni
 Sævitiam, collo vincula grata geris:
Vincula, quæ gestas, sed cum dissolvet acerbo
 Vulnere, grata magis dura bipennis erit.

S. FULGENTII Episcopi Ruspensis.

EPIGR. II.

TEcta petit sacri primœvo flore recessus,
 Clamosi fugiens jurgia rauca Fori:
Mœsta piis natum frustra divellere castris
 Conatur madido fletibus ore parens:
Percurrit Pharias studio pietatis arenas,
 Solivagumque regit Cœnobiarcha chorum:

Non

Non potuit Libycæ ſed detrectare tiaræ,
  Multa licet contra ſponte moveret, onus.
Errantes ſincera greges ad paſcua duxit;
  Quos dextra in pravas torſit iniqua vias.
Non longum chartis tranſmittere parcit in ævum,
  In Stygium calamo quæ parat arma Ducem.
Dividit in turbas demum moriturus egenas,
  Quas reliquas fecit vita ſuperſtes, opes:
Nimirum, ut ſuperi docuerunt verba Magiſtri,
  Aurea ſidereum ſarcina tardat iter.

S. EUFROSINÆ Virginis.

EPIGR. III.

UT vitet cultu tædas fulgente paratas,
  Auſa eſt mentiri caſta Puella virum:
Deſeruit patrios exul generoſa penates,
  Silvicolas inter delituitque Senes:
Cultores nemorum ſacros animoſa fefellit,
  Villoſa tenerum cannabe cincta latus.
Interea Euphroſinen genitor per tecta, per urbes,
  Triſte gemens, longos quæritat uſque dies:
Conſultor demum clauſtri nemoralis Alumnum,
  Fama effert raræ quem probitatis, adit.
Illos forte lares proles ignota tenebat;
  Delevit priſcas nam nova forma notas;
Nempe, quaterdenos macie confecta per annos,
  Tabuit exangues attenuata genas.
Sæpius illa ſuum affatur malenota parentem;
  Aſſociatque pios ſæpius ore ſonos:
Inſtare extremam ſed cum prænoſceret horam,
  Aggreſſa his patrem dicitur illa modis:

Par-

Parce, Parens, varias ultra perquirere terras;
 Et, si grata tibi est filia, parce queri:
Ipsa ego sum, longo mœrentem errore viarum,
 Quam te perpetuò quærere suasit amor:
Mortalis fugi sponsi connubia; Sponsa
 Sed nunc siderei Regis ad astra feror.
Hæc ubi dicta dedit, fatali saucia telo,
 Deficiens patrios concidit ante pedes.
Amissam doluit; magis at dolet ille repertam;
 Noscere sic Natam pœnituitque patrem:
Diriguit visu subito; meruitque supremum
 Prolis in amplexu claudere posse diem;
Sed durum fati instantis compescuit ictum
 E cælo, superis Nata recepta plagis.

S. ODILONIS Abbatis.

EPIGR. IV.

DIstortum membris nutrix malecauta Puellum
 Fulgentis Templi deserit ante fores:
Ille sacram reptans ædem percurrit; & aram
 Brachiolis prendit terque quaterque suis:
Assultu crebro Jessæa à Virgine, fletu
 Et querulus tenero poscere visus opem:
Explicuit demum, tortos quos duxerat, artus,
 Nutricis repetit liber & ille sinus.
Dispensant aliis alii miracla; salutem
 Sed Puer optatam comparat iste sibi.

ALIVD

ALIUD

EPIGR. V.

NOn inopum turbæ parcus ſuccurrere, cultu
  Auſtero rigidos tranſigit ipſe dies.
Numinis auxilio ſinceræ pocula lymphæ
  In ſapidum vertit terque quaterque merum:
Trajicit undantes plantis arentibus amnes:
  Luſtrali morbos cedere cogit aqua:
Lumine qui captus primo caligat ab ortu,
  Diſcutit umbroſas protinus ore notas;
Quæque retonta prius vano languebat hiatu,
  Solvitur in claros torpida lingua ſonos:
Prodigiis nunquam ceſſat clareſcere; languor
  Obtinet imperio Præſulis omnis opem:
Siqua vacat miris eventibus hora, videri
  Prodigioſa magis ſcilicet illa poteſt.

S. EUGENDI Abbatis.

EPIGR. VI.

E Cælo Romanus adit te noctis in umbra;
  Ad ſacri regimen deſtinat atque Laris:
Ipſe manu niveos tibi ſedulus aptat amictus;
  Cingulaque ad geminum nectit adacta latus:
Quæ nox alta tulit rerum præſagia, vero
  Conſona continuò præſtitit orta dies:
Luce nova illuſtrem in cœtum delata poteſtas
  Nimirum meritis, curaque, Dive, tuis:

Pul-

Pulchrior at nituit demiſſi gratia vultus,
Imperii fulſit quo magis auctus honos.
Cepiſti claris Superûm clareſcere donis
Jugiter, & cœlo gratificante frui.
Præſtantis Lictor Stygia de plebe puellæ
Torquebat diris membra ſubacta modis:
Laſſantur fruſtra ſacri de more Miniſtri;
Fruſtra iterant validos ore minante ſonos:
Compellas hoſtem ſcripto procul ipſe remotus;
Obſeſſoſque artus deſeruiſſe jubes:
Arripuit celer ille fugam: reſponſaque tortor
A Divo miſſis ſic dedit apta notis.

11. *Januarii*.

S. CLARI Abbatis.

EPIGR. VII.

DUm Rhodanū tenui tranſmittis lintre Puellus,
Præcipites voto ſuplice ſiſtis aquas.
Quid faciet; ſeris veniet cum robur ab annis,
Siſtere quæ fluvios dextra tenella poteſt?

ALIUD

EPIGR. VIII.

VInea, quæ gravidis tumuit prius aucta racemis,
Squalebat turpi, grandine tacta, ſitu:
Dum queſtu miſero luget ſua fata Colonus,
Quam rogitat, Divus Numina poſcit, opem:
Nec

Nec mora : ſe , collis dorſo rediviva ſupini ,
Induit in fœtus ditior illa novos .
Vineta , ut tanto reparent ſua fœnore damna ,
Quælibet optarint grandinis imbre peti .

S. MACARII Senioris Abbatis .

EPIGR. IX.

IN vultus hoſte à Stygio mutatur equinos ,
Quæ curam caſti nupta pudoris habet :
Silvicolæ magni precibus ſed , Numine dextro ,
Ad priſcas formæ redditur illa notas .
Deſerit inſontes pueri , quos occupat , artus
Tartareus ſacro percitus ore Draco .
His meruit ſignis ſplendeſcere , foſſa jugoſis
Cautibus annoſus dum colit antra Senex .
Magnarum erupit laudum reſonabilis Echo ;
Vicit & anguſtæ clauſtra repoſta ſpecus .

S. ADHELARDI Abbatis.

EPIGR. X.

FRancigenûm celſa ſpectandus origine Regum ,
Inclyta qui claris ſtemmata ducis avis ,
Incluſus clauſtri penetralibus excolis hortum ;
Illuſtremque gravant ſarcula dura manum :
Gemmea ſed qui ſceptra gerunt , tractaſſe ligonem
Quam vellent , vita deficiente , tuum !

ALIUD

ALIUD

EPIGR. XI.

ATtonito late fulgens inclaruit orbe
Prodigiis postquam Gallica terra tuis,
Te, furiis flagrans immitibus, invida cogit
Exilio ignotas quærere turba plagas:
Exulis obscuri, Livor, quid inania jactas
Nomina? Lux nusquam tanta latere potest.

S. PETRI AULANI.

EPIGR. XII.

QUi tibi quadrifidus festinat funera truncus,
Celsa triumphales præstat ad astra gradus.
Pollicitis frustra mulcet tua corda Tyrannus;
Horrificis frustra territat ille minis:
Pœnas nempe putas, quæ spondet præmia; vitæ
Dona novæ censes, quam vocat ille necem.

11. *Januarii.*

S. GORDII Martyris.

EPIGR. XIII.

PRœlia certantes edunt dum ludicra turmæ,
Illuxit, Mavors, cum tibi festa dies,

Tu

Tu damnas surdo ductos e marmore Divos;
Præsidis & jussu fata cruenta subis.
Exercet simulata alios quæ pugna, triumphi
Vera fuit fuso sanguine pompa tuì.

S. GENOVEFÆ Virginis.

EPIGR. XIV.

TE sævo mater cædit dum verbere, Solis
Amittit, gemino lumine capta, jubar:
Verbera prodigiis tu miris dura rependis;
Amissum matri restituisque diem.
Edidit in lucem mater te, Diva; parenti,
Quam potis es, lucem reddis & ipsa tuæ.

ALIUD

EPIGR. XV.

DUm Scythicas metuit populosa Lutetia turmas,
Barbarici præceps quas agit ira Ducis,
Dum priscos mœstæ pulsantes ubera matres
Cum natis properant deseruisse lares,
Præsidio Superûm tu freta, minantia Regis
Vesani cives arma pavere vetas.
Undique Sarmatici tempestas cœca Gradivi
Gallica terrificis cladibus arva quatit:
Mœnibus at solum rabies insana pepercit,
Quæ placidus famulis Sequana lambit aquis.
Ejectis alii sibi plaudant hostibus; urbem
Divæ major honos, hoste carere, fuit.

LV.

IV. *Januarii.*

S. GREGORII LINGONENSIS Epiſcopi.

EPIGR. XVI.

AD tumulum pia turba tuum de more cadaver
  Dum ſociat; ſacras fundit & ore preces,
Detenti fœdis obſcuri carceris umbris
  Subſidium, pheretro prætereunte, rogant:
Continuò, mirum! reſerantur ſponte, rigenti
  Munitæ ſteterant quæ prius ære, fores:
Sponte ſua duros diſſolvunt vincula nexus,
  Queis prius adſtrictæ diriguere manus:
Exilit, & ſacram funus comitatur ad ædem;
  Integrat atque pios libera turba ſonos.
Corporis, aſtra petens, ſolvit qui vincula, pubis
  Captivæ extinctus ſolvere vincla poteſt.

S. RIGOBERTI Epiſcopi Rhemenſis.

EPIGR. XVII.

EXilio incertas juſſus percurrere terras,
  Dura ſub immiti Principe luſtra trahit,
Littora nimirum petiit diverſa, nitoris
  Latius ut radios funderet ille ſui.

v. *Januarii*.

S. APOLLINARIS Virginis.

EPIGR. XVIII.

UT liceat rigido vitam tibi ducere cultu,
Inter & assiduas continuare preces,
Veste rudi mentita virum, pia claustra colentes
Occulta Virgo decipis arte Senes.
Increpat incestam dum te malecredulus, ipsum
Ambiguo patrem decipis ore tuum:
Quam Stygio obsessam solvis tortore, sororem
Mutatis formæ decipis usa notis.
Vita referta dolis totum tibi ducta per ævum:
Talibus at virtus invidet ipsa dolis.

S. SIMEONIS STYLITÆ,

EPIGR. XIX.

OBscuro scrobis immundæ spiramine clausus
Transigit ignotos, & sine sole, dies.
Abstrusi latitant caveis migrantibus, aurum
Qui duris quærunt, effodiuntque jugis:
Indeprensa colit terræ dum viscera, vitæ
Comparat immensas iste perennis opes.

ALIUD

ALIUD

EPIGR. XX.

VErtice ſublimis figit ſua tecta Columnæ ;
Horrentis foveæ qui modo cultor erat.
Tam bene dimenſis qui digerit alta profundis,
Virtutis punctum ſcilicet omne tulit.

ALIUD

EPIGR. XXI.

TE tenet algenti quæ celſa ſub axe columna,
Eſt tibi ſuplicium, Dive, domuſque ſimul.
Non piget hic Cælo, ſuplex dum Numen adoras,
Elatas ſolida tollere nocte manus :
Non piget informes hiemes, Boreamque furentem,
Non Hyperionias ſuſtinuiſſe faces :
Dura fames cruciat languentia membra : ſalutas
Lucida per longas pervigil aſtra moras :
Erecto perſtas dum corpore, tabe maligna
Inficiunt molles ulcera fœda pedes.
Alcides geminas, non pervia clauſtra, columnas,
Ambitio poſuit non ſaturata, tibi :
Pœnarum ſed quos habeat Conſtantia fines,
Quam tu, Dive, colis, celſa Columna notat.

ALIUD

EPIGR. XXII.

AEtrei licet alta colas faſtigia ſaxi,
Te Virtus meritis celſius aucta locat.

ALIUD

EPIGR. XXIII.

ERecta Divi perdurat fronte cadaver;
Sternere nec Pugilem mors violenta potest.
Non satis est stantem pugnasse, superstite vita;
Invictus stando dimicat ipse cinis.

ALIUD

EPIGR. XXIV.

ECelsa jussus descendere, Dive, Columna,
Extensum læto porrigis ore pedem.
Membra domas, colis austeræ dum culmina sedis
Dum pares, animi victor es ipse tui.

VII. *Januarii.*

S. LUCIANI Martyris.

EPIGR. XXV.

PRodigiis clarum, doctrinæ & lumine, letho
Præceps insani Cæsaris ira dedit:
Pondera mox saxi gestans religata cadaver
In vasti mersum truditur ima maris.
Ferbuit insani rabies sed quanta Tyranni,
Delphini pietas tanta, fidesque fuit.

Ille

Ille laborantis nitens curvamine dorſi,
Excipit undoſis eruta membra vadis;
Mox ſaltu aſſiliens, fractique aſpergine ponti,
Cærula feſtivum per freta carpit iter;
Littora cum victor tenuit ſpumantia, terræ
Depoſitum domitis grande reponit aquis;
Ipſe etiam jacuit mox prenſa extinctus arena;
Amplexos Divi continuitque pedes:
Ad ſocios poterat medias remeare per undas;
Atque iterum lætos implicuiſſe choros;
Sed, quem tanta fides commendat, viſere rurſus
Æquoris infidæ non meruiſtis aquæ.

VIII. *Januarii*.

S. SEVERINI Confeſſoris.

EPIGR. XXVI.

PAnnoniæ geminas furiis hoſtilibus urbes
Vexabat, Scythico ſub duce, ſæva phalanx:
Altera non pavitat, ſuplex dum ſiſtit ad aras,
Et paret monitis obſequioſa tuis:
Altera ſed ſurdas dictis hortantibus aures
Dum præſtat, turpi ſtrata recumbit humo.
Ipſa ruina juvat: tibi nam ſublime trophæum
Urbs impacato diruta Marte fuit.



S. GUDULÆ Virginis.

EPIGR. XXVII.

COncubia dum nocte sacram festinat ad ædem,
  Assuetas Virgo solvat ut ore preces,
Extinguit Lictor Stygius, signabat eunti
  Quæ callem, clara prævia luce, facem:
Illa dolet, templi longinqua ad limina densis
  Præclusum tenebris dum sibi noscit iter:
Poscit opem suplex dum Numinis, aucta favillis
  Continuò fulsit fax rediviva novis.
Tartareum Stygio torquet magis igne tyrannum,
  Quæ dedit invisum parvula flamma jubar.

ALIUD

EPIGR. XXVIII.

ARida quæ trunco jacuit, contemptaque, ad urnã
  Virgineam fœtu divite planta viret:
Illa etiam, tumulum Divæ procul urbe remotum
  Dum cultu Princeps nobiliore locat,
Subsequitur, mirum! fibris excisa cadaver;
  Atque novas templi figitur ante fores.
Vive diu felix ramis viridantibus arbor;
  Latius & lætas tendere perge comas:
Virginis excelso quamvis agnata sepulcro
  Lilia perpetui veris odore fragrent,
Annuit illa tamen, quam laudem suspicor ambis,
  Floribus ornari, planta superba, tuis.

IX. *Januarii*.

S. POLYEUCTI Martyris.

EPIGR. XXIX.

CÆſaris hinc feritas tua pectora, Dive, laceſſit,
Hinc lacrimis Conjux inſidioſa ſuis:
Sed te ſæva minis nec territat ira Tyranni;
Nec gemitu flectit connubialis amor.
Adſtantis ſponſæ fletus, & Cæſaris iram
Quæ ſuperat, palmas mors habet una duas.

SS. JULIANI Mart., & BASILISSÆ Virginis.

EPIGR. XXX.

SPlendida feſtivo celebrant connubia cultu;
Atque iterat lætos nobilis aula ſonos:
Lilia ſed ſuperis fragrant dum lecta viretis,
Æthereoque nitens ſpirat odore thorus,
Virginei ſibi juſſa notant quæ ſigna pudoris
Concordes animi non temerata colunt.
Felices, thalamus quos Virginitatis amorem,
Sidereis redolens floribus, ipſe docet!

ALIUD

De S. JULIANO.

Epigr. XXXI.

IMpia thura Deis immoto corde negantem
  Nodoſis cædit Præſidis ira flagris:
Diriguit primos tortor ſed œcus ad ictus;
  Exanimique cadunt verbera dura manu:
Mox Divi precibus frontis caligine pulſa,
  Intrepido fictos increpat ore Deos:
Nec mora: crudeli ſubmittens colla ſecuri
  Torquetur, Divi qui modo tortor erat.
Fortunate nimis jactura lucis amicæ!
  Æternum peperit cui brevis umbra diem.

ALIUD.

Epigr. XXXII.

IMpia cum Sociis damnat dum Numina, Divum
  Præſidis in medias conjicit ira faces:
Illum ſiderei ſed recreat aura Favonj;
  Et latus in verna credit habere roſa.
Horrida ſanguineo præbens ſpectacula Circo,
  Excludit ſævas ſævior ille feras:
Sed media curſum cohibet famularis in ira,
  Et lambit ſacros bellua prona pedes.
Suplicia abſumpſit feritas cum cætera, Divo
  Ad cœlum reſerat dura bipennis iter:

Si-

Sidera vix ſubiit, fibris ſuccuſſa profundis
   Mœnia cum ſubito pulſa fragore tremunt:
Ardua tecta labant; ſubitoſque minantia lapſus
   Dant ſonitum, proprio ſubſiliuntque ſitu:
Procubuere ſolo tumulatis Civibus ædes:
   Perdidit innumeros una ruina lares:
Pulveream attollunt nubem, penituſque dehiſcunt
   Strata repentino murmure templa Deûm.
Hos Divo inferias numeroſæ ſtragis acervos
   Irato vindex miſit ab axe Themis.

x. *Januarii*.

S. MARTIANI Confeſſoris.

EPIGR. XXXIII.

TE modicam mendicus opem rogat obvius; artus
   Detracta nudos tu tibi veſte tegis:
Turba ſtupet rutilo ſed te velamine tectum,
   Et pluſquam pota membra nitere Tyro:
Attrectare audet ſed te cum dextera, nudos
   Comperit extemplo ludificata ſinus:
Paſce oculos nitidæ, Spectator, veſtis amictu;
   Conatur vanus quam tetigiſſe labor:
Aſtra ſuper tenui quæ ſtamine texta coruſcat,
   Ad craſſæ tactum non facit illa manus.

S. GUILLELMI Epiſcopi Bituricenſis.

EPIGR. XXXIV.

ERrorum veſana lues infecerat urbes,
   Quas tumido velox amne Garumna rigat:
Tem-

Templorum non ullus honos; ſimulacraque Divûm
Impete lymphatæ plebis aduſta cadunt.
Eloquio Præſul turbas lenire furentes
Nititur, & placidis, qua valet arte, modis:
Effera ſed rabies dum, cedere neſcia, flagrat
Sævius; atque novo gliſcit ab hoſte furor,
Præcipites animos compeſcere cogitur armis,
Quæ Latii juſſu Principis æqua movet.
Inſtruit armato lectas dum milite turmas,
Ad Superos morbo præcoce victus abit.
Ingenio facilis, mitiſſimus ore, relicto,
Quem parat invitus, ſidera Marte colit:
Sufficere inde poteſt certantibus arma; futuris
Sed non triſtari cladibus ille poteſt.

XI. *Januarii*.

S. THEODOSII Cœnobiarchæ.

EPIGR. XXXV.

ASpera quæ geſtas hirſutis cingula ſetis,
Martia te miles dum movet arma, rogat:
His fretus telis dum prælia miſcet, opimam
Palmarum ſegetem ſtrenua dextra metit:
Nec mirum, cinctus mortales hiſpidus hoſtes
Si ſuperat; Stygios vicerat ille prius.

ALIUD

EPIGR. XXXVI.

SErvata Heroem dum pellit ab urbe Tyrannus,
Irato trifidi fulminis igne perit.

Quæ

Quæ tua crudelis cingebat tempora Cæſar,
Non Laurus, vivax planta; Cupreſſus erat.

ALIUD

EPIGR. XXXVII.

IN ſolas Divum extorrem dum projicis oras,
Fulmine præcipiti, torve Tyranne, cadis.
Dum novus Eoas Phaeton incendere terras
Feſtinas, parili funere fata ſubis:
Stagna tenent veris ſed te Cocytia pœnis;
Illum, ſi Famæ credimus, unda Padi.

ALIUD

EPIGR. XXXVIII.

INſani ritus, quæ ſerpunt noxia, Divus
Dum valida prohibet dira venena manu,
Inſontem Cæſar furiata mente remoti
Exilii cogit fata ſevera pati.
Quæ, Princeps, furiis agitat te triſtis Erynnis?
Perdite, quò demens in tua damna ruis?
Nonne vides Cœlo quæ vindice jacta ſuperbum
Exitioſa petunt tela triſulca caput?
Ad Stygiæ tranſis dum ſævæ incendia flammæ,
Non eſt, quod tumeas ætheris igne peti.

XII. *Januarii*.

S. ARCHADII Martyris.

EPIGR. XXXIX.

FRustatim ferro cædit tua membra satelles:
  Pars tibi crudeli a vulnere nulla vacat.
Incassum furit ille: magis tua nempe triumphat,
  Integra conciso corpore, Dive, fides.

XIII. *Januarii*.

SS. HERMYLI, & STRATONICI Martyrum.

EPIGR. XL.

HEroes ferro postquam laceravit adunco
  Tortoris multo verbere fessa manus,
In rapidum laqueis adstrictos projicit Istrum;
  Exuvias pronis qui veneratur aquis.
I celer; & tumidum subeas jactantior amnis
  Æquor: opes pelagi non habet unda pares.

XIV. *Ja-*

XIV. *Januarii*.

S. PONTIANI Martyris.

EPIGR. XLI.

INceſſu ardentes juſſus percurrere prunas,
Ignitum læta fronte capeſſit iter:
Feſtivo gradiens teſtatur gaudia vultu,
Ceu premeret pictis ſtrata vireta roſis.
Languit amiſſis nimirum viribus ignis,
Divina victus, qua flagrat ille, face.

SS. Patrum, interemptorum in Sina, & Rhaiti regione.

EPIGR. XLII.

ASſurgit Cœlo ſummi quà Numinis hoſpes,
Nubiferiſque horrens ardua Sina jugis,
Tegmina Silvicolæ palmis contexta colebant,
Quas fœtu felix ubere gignit humus:
Sedat inempta famem ſilveſtribus obvia baccis
Eſca; ſitis riguis pulſaque fontis aquis:
Horrentes arcent villoſo vellere brumas;
Alget in herboſo ſtramine dura quies.
Auſteræ precibus traducunt tempora vitæ
Per loca diſperſis dum nemoroſa caſis,
Armatæ inſiliunt Arabum de gente catervæ,
Quas adigit rapto vivere dura fames:
Non illis prædas ſatis eſt avertere; prædæ
Paupere ſub tecto ſi locus ullus erat;

Im-

Immites ferro excindunt agrestia tecta ;
Stramineos flammæ corripuere lares.
Quin etiam, dictu horrendum! truculenta verendos
Invasit rabies non saturata Senes:
Expediunt gladios, ignesque ; & strage cruenta
Vesanæ fœdant limina sacra manus:
Corpora per densos saltus inhumata relinquunt,
Et demum sævis dilaceranda feris.
Non unquam felix scelus est: Astræa nocentes
Et gladio sequitur vindice læsa reos:
Adversa occurrunt alii nam parte Latrones,
Horridaque infesto prælia Marte gerunt:
Impia sustinuit validos male turba maniplos ;
Cæsaque acervato funere complet agros:
Funestum rabidis fuerat prædonibus omen,
Insessus summo Numine montis apex:
Fulgura namque olim quæ miscuit inde, rebelles
Nunc etiam merita dextera cæde domat.

XV. *Januarii*.

S. JOANNIS Calibytæ Confessoris.

EPIGR. XLIII.

REx Erebi ad patrios Divum remeare penates
Subdolus instigat, dum pia tecta colit ;
Gestiit & domito ceu victor ab hoste, relicto
Dum claustro ad patrios transmigrat ille lares:
Mendicum lacero simulat centone, diuque
Ignotus patriis sedibus ille latet:
Artibus his Heros fallaci illudit Averno ;
In Stygium regerit telaque jacta Ducem.

Tol-

Tolle animos victor, Pugil o fortissime; surgit
  Tartareo felix cum Duce pugna tibi:
Namque tuis, dextro certans quos sidere nectis,
  Inventor fraudum vincitur ipse dolis.

S.BONITI Episcopi Arvernorum.

EPIGR. XLIV.

SPlendida dum multa supplex prece templa frequentas,
  Cum gemitu & pulsas pectora status humi,
Virgo Parens resonis complet concentibus auras,
  Aligerûm famulis associata choris:
Tu sacræ celebras mensæ convivia; libas
  Nazarea & superam Matre jubente dapem:
Sed postquam præstans oblata est Victima, claram
  A grata vestem Virgine munus habes:
Non illam gemmis Ganges ornavit; Arachne
  Distinctam docta nullaque pinxit acu:
Ut nullo textum superabile noveris auro,
  Virgineæ satis est dona fuisse manus.

XVI. *Januarii*.

S. FURSEI Confessoris.

EPIGR. XLV.

COrreptus morbi nocua dum tabe laborat,
  Et trahit angusto languida membra thoro,
Hinc

Hinc illi Stygius furiata mente satelles,
Aliger hinc celso visus ab axe Puer.
Concurrunt validis certatim viribus ambo;
Ille sibi Divum vindicat, iste sibi:
Enumerat noxas ferus alter, & exprobrat; alter
Objectas roseo diluit ore notas:
Nisu molitur vano dum plurima, Ditis
Ad nigros præceps aufugit ille lares:
Nectareis alter contra sese extulit alis;
Ad superas revolat splendidiorque plagas.
Convaluit Divus post hæc bis victor; Averni
Nam palmam, morbi perdomitique, tulit.

SS. BERARDI, PETRI, ACCURSII, ADJUTI, & OTTONIS Martyrum.

EPIGR. XLVI.

LEcta phalanx, Alvernicolæ præstansq; Parentis
Gloria, quam palmæ nobilis urit amor,
Marmaricas Zephiris famulantibus appulit oras,
Quas tumido pulsat gurgite rauca Thetis.
Monstra parit tellus; grassantes cæde Tyranni
Sed vincunt sævas, quas alit illa, feras.
Non illos, surdis damnantes culta metallis
Numina, barbarici Principis ira tulit:
Umbrosis fœdi marcescere carceris umbris,
Ferratis cædi verberibusque jubet.
Effera sed postquam rabies non proficit; addit
Quin animis vires pœna vel ipsa novas,

Tor-

Tortoris lentos piget expectare lacertos ;
  Et longas ultra sustinuisse moras :
Trajicit ipse ferox jugulum ; scinditque cruenta
  Frustatim vultus dilaceratque manu .
Fortunata cohors tenuit stellantia Regna ,
  Quò sibi purpureo sanguine stravit iter .
Tunc Libyæ in palmas sese induit arida tellus ,
  Squalenti primum pulverulenta situ :
Ipse , jugis asper , sublimius extulit Atlas
  Ornatum lauro tunc viridante caput .

XVII. *Januarii.*

SS. SPEUSIPPI , ELEUSIPPI , & MELEUSIPPI Martyrum.

EPIGR. XLVII.

ABsumptos reputat spectatrix turba , voraci
  Quos violens Fratres turbine flamma rapit :
Illibata nova sed corpora luce revelat ,
  Extincto resilit qui levis igne cinis .
Non aliter scisso monstrat velamine solem ,
  Dum cedit medio nubilus axe vapor .

Inventionis SS. DIODORI , MARIANI , & aliorum MM.

EPIGR. XLVIII.

EFfossa tellure latent quæ sacra , phalangis
  Palmigeræ vigiles dum monumenta colunt ,

Cæſaris imperio rupes dejecta precantes
  Morte cita cædit, contumulatque ſimul.
Mole ruinoſâ tectos, labentibus annis,
  Detexit dextro ſidere læta dies:
Perſonat Aligerûm feſtis nam cantibus aer
  E tumulo, & liquidi nectaris aura fragrat:
Nec mora: præruptæ ad caveæ pendentia ſaxa
  Accelerat cupidos Romula turba gradus:
Ipſe Parens Latius, cœtu comitante Quiritum;
  Exeſa horrendis cautibus antra petit;
Disjectamque inter molem quæſita, vetuſtis
  Eruta ruderibus colligit oſſa ſinu;
Inſtauratque ſimul pompæ ſolemnia; templo
  Exuvias ſuplex & renitente locat.
Monte ſuperjecto ſoboles Phlegræa ſepulcrum
  Commeruit; Vates ſi meruere fidem:
Illa furens urnam per ſæva tonitrua promit,
  Et fœdo picei turbinis imbre, ſuam:
Sed Cœli Proceres Superûm modulamina monſtrăt,
  Quique fragrans miro ſpirat odore cinis.

S. SULPITII Epiſcopi Bituricenſis.

EPIGR. XLIX.

TOllitur ante tuam lychnus qui penſilis urnam,
  Fulmineo extinctus ducit ab igne jubar.
Quæ potis eſt Cœlo elatas evertere turres,
  Celſaque fumanti ſternere templa ſolo,
Prodeſſe, & placido manſueſcere ſcilicet ictu
  Diſcit ab ingenio fulminis ira tuo.

XVIII. Ja-

XVIII. *Januarii.*

S. LEOBARDI Confessoris.

EPIGR. L.

ARdentes ægro decedere pectore flammas,
Quadrifida signas dum Cruce vina, doces.
Prodigii genus insuetum! liquor igneus arcet,
Consuevit morbi quas aluisse faces.

XIX. *Januarii.*

S. LAUNOMARI Abbatis.

EPIGR. LI.

NUtu planta tuo, quæ ferro excisa jacebat.
Permutat vasta mole onerosa locum.
Strata licet, truncoque rigens arente, superbit
In laudes arbor fertilis illa tuas.

S. VOLSTANI Episcopi Uvigorniensis.

EPIGR. LII.

AUsa procax claustri penetralia sacra colentem
Fœmina te Cypriis sollicitare dolis:
Continuò incensus flammis tu nobilis iræ
Percutis excussa pellicis ora manu.
Erubuit merito generosæ verbere dextræ,
Quæ facies omni rasa pudore fuit.

ALIUD

Epigr. LIII.

VItali dum luce fruens jejunia ſervas,
  Emaciata ſubit pallidus ora color:
Præteriit poſtquam ſed cum centeſima meſſis,
  In tumulo degens florida membra geris.
Vita coloratos quos abſtulit aſpera flores,
  Fœnore mors amplo reddidit ipſa tibi.

xx. *Januarii*.

S. EUTHYMII Abbatis.

Epigr. LIV.

SIlvarum cultor, craſso velamine tectus,
  Cœnobii quamvis limina ſacra colas,
Innumeræ vites properantis ut agmina turbæ,
  Incertos mutas terque quaterque lares.
Siſte gradus: cœcas ultra jam parce latebras
  Quærere; te ſtatio condere nulla poteſt:
Non latitare licet Soli, ſeu Scorpius illum,
  Seu teneat rabido fervidus igne Leo.

ALIUD

Epigr. LV.

ERrantes revocas vitiorum tramite lævo
  Ad dextrum monitis, Dive, ſalutis iter:

Non

Non colubris idem, non læderis ungue ferarum,
Occurſu crebro quæ tua luſtra petunt.
Qui potuit turpes animis excindere noxas,
A ſævis adimit dira venena feris.

XXI. *Januarii.*

S. PATROCLI Martyris.

EPIGR. LVI.

DEvinctum manicis, ſævæ addictumque ſecuri,
Dum te Carnificum turba proterva trahit,
Sequana ſpumoſis ſeſe obtulit obvius undis,
Qui forte effrenis auctior ibat aquis:
Excuſſis laqueis, ſupero tu Flamine raptus,
Trajicis arenti lata fluenta pede.
Sola relicta ſtupent tortores vincula; nempe
Adſtringi proprias queis meruere manus.

SS. FRUCTUOSI Epiſc., AUGURII, & EULOGII Diaconorum.

EPIGR. LVII.

PEr medios, palmis aucti victricibus, ignes
Victores ſuperas cum tenuere plagas,
Objurgant nitida viſi de nube Tyrannum,
Ingeminant flammæ Tartareæque minas.
Extincti elata tantum nunc fronte minantur,
Demiſſa quantum ſuſtinuere necem.

S. MEINRADI Martyris.

EPIGR. LVIII.

ADventare truces angusta in tecta Latrones,
 Inque tuam noras quos properare necem,
Excipis occursu placido; blandoque paratas
 Apponis mensæ pauperis ore dapes.
Acceptis alii damnis benefacta rependunt;
 Tu donis etiam damna futura tuis.

ALIUD

EPIGR. LIX.

ANte tuum steterat quæ fax exstincta cadaver,
 Dispensat mirum fulgida sponte jubar;
Absumpsit totas sed postquam vivida ceras,
 Tegmina funerei corripuitque thori,
Tangere compositos non ausa immobilis artus,
 Diriguit subito ceu religata gelu.
Dic, age; luce nitens, viduo num lumine languens,
 Prodigiosa magis cerea tæda fuit?

S. BLESILLÆ Viduæ.

EPIGR. LX.

EXpendis clarum doctæ si mentis acumen,
 Excultam credas Palladis esse sinu;

Ro-

Romuleis fœcunda sonis, fœcunda Pelasgis,
Isacidumque sacris psallere docta modis:
Juncta thoro, rigidis cruciat sua corpora pœnis;
Non thalamum, claustrum quam coluisse putes.
Fata subit primo vernantis flore juventæ;
Nec mirum modicas si trahit illa moras.
Fertilitas fructu quæ præcoce tanta paratur;
Non potuit longos sustinuisse dies.

XXII. *Januarii*.

S. EPIPHANII Episcopi Ticinensis.

EPIGR. LXI.

PAstoris mira clarescit luce cadaver:
Sole superfuso membra nitere putes.
Quæ radiis animum decorat cœlestibus, ipsos
Hoc artus ornat lumine clara dies.

XXIII. *Januarii*.

S. CLEMENTIS Episcopi Ancyrani, & Martyris.

EPIGR. LXII.

NOn mihi si centum præstet facundia linguas,
Dive, queam pœnas enumerare tuas.
Corpora ferratis proscindunt ictibus unci;
Innumero in sulcos vulnere sanguis abit:

Tortoris ſacras, turbæ ſpectante corona,
Indigno cædit verbere palma genas:
Carceris anguſti, religatus brachia vinclis,
Permutas cœcos terque quaterque lares:
Innocuos rabies furioſa immittit in artus
Sæva theatrales quas agit ira feras;
Inviſa in cineres abeant ut membra, remugit
Aſſiliens medio fervida flamma foro:
Cannabino inſutus ſacco de vertice montis
In pelagi jaceris torvà furentis aquas:
Ardenti flagras demerſus calce; cruentis
Arida cuſpidibus conterit oſſa chalybs:
Corpora circumfers totum conciſa per orbem;
Plecteris Eois, Occiduiſque plagis:
Laſſaſti vires gemini ingeniumque Tyranni;
Irrita ſepteni Præſidis ira fuit:
Suplicia haud Feritas quæ plura excogitet, ictus
Quò recidant, lacerum non tibi corpus habet:
Integra ſola fides firmo ſub pectore, damnis
Vis animi nullis & ſuperanda manet:
Hora brevis rigidis non te cruciatibus angit;
Torſerunt longa plurima luſtra mora:
Luctantem te ſupliciis juga celſa, ſupinæ
Te valles norunt, te freta ſalſa maris:
Dum ſacras demum gladio mactatus ad aras
Concidis, ipſa tùo templa cruore madent.
Dicere ſi fas eſt, in tot Conſtantia pœnas
Sufficere haud quaquam fortius ipſa poteſt.

S. JOAN-

S. JOANNIS ELEEMOSYNARII Episcopi.

EPIGR. LXIII.

DIve, tibi fulgens aurum mutata miniſtrat,
  Quæ condit ſapidas amphora mellis opes.
Diffictis fruſtra ſtulta fornace metallis,
  Flaventes maſſas quærit avara manus;
Dum facilis votis inopum tu conſulis, aurum
  Siderea felix Chymicus arte paras.

ALIUD

EPIGR. LXIV.

QUæſitam lucro navem conſcendit iniquo
  Inſtitor, infidis vela deditque Notis;
Sed miſero pereunt ipſæ ſine fœnore merces,
  Dum certam fallax non habet unda fidem:
Squalidus occurſu, & lacrimis pudibundus obortis,
  Procumbit ſacros Præſulis ante pedes:
Ille gravem placido miſeratus pectore ſortem,
  Et vultu flexus ſuplice, dexter adeſt:
Triticeis onerat propriis de puppibus unam
  Frugibus, & ventis pandere vela jubet:
Mercator lætum ſolvit de littore funem,
  Merce nova dives, qui prope nudus erat:
Aequora dum remis verrunt ſpumantia nautæ,
  Ignoto fertur flamine pulſa ratis;
Non illam vigili nam claviger arte gubernat;
  Nec ſignant certam ſidera nota viam:

Aſſi-

Assidet ad clavum, dictu mirabile! Præsul;
 Aereoque nitens corpore vela regit:
Angligenûm terras tenuerunt carbasa, tecta
 Torqueret violens cum Tamesina fames:
Festivo urbs fremitu exiliens accurrit in alnum,
 Quæ solidæ Cereris pondera grata vehit:
Institor advectos auro permutat acervos,
 Et relegit faustum, qua trabe vectus, iter.
I felix puppis; tam dextri Castoris usu
 Nulla per æquoreas cymba cucurrit aquas.

S. HIDELFONSI Episcopi Toletani.

EPIGR. LXV.

NAzareæ Matris venturum fulget in ævum
 Virginitas chartis dum celebrata tuis,
Virgo Parens vigiles curas laudata rependit;
 Te rutila & celso ditat ab axe toga.
Eja age: sume libens modulum radiantis amictus,
 Te super astra sua quo teget illa manu.

XXIV. *Januarii*.

S. BABYLÆ Episcopi, & Martyris.

EPIGR. LXVI.

A Templo Augustum grassantem cæde repellit
 Impacta in pectus terque quaterque manu:
Infremit; insano furiatus & impete Cæsar
 Invisum rigido demetit ense caput.
Quo vultu sacra vindex ex æde Tyrannum
 Arcuit, horrentem sustinet ille necem.

XXV.

x x v. *Januarii*.

SS. JUVENTINI, & MAXIMI Martyrum.

EPIGR. LXVII.

POllicitis Cæſar blandis bis terque laceſſit
Invictam Pugilum ſolicitatque fidem:
Inconcuſſa diu demum dum pectora novit,
Abſcindi ferro colla rigente jubet.
Non illi, longo diſtenti tempore, pœnas;
Pœnarum lentas ſed timuere moras.

S. EUSEBIÆ cognomento HOSPITÆ.

EPIGR. LXVIII.

INgenui Sponſam cum te dixere parentes,
Exilit & feſto murmure læta domus,
Aufugis urbe procul, cultus mentita viriles;
Quæris & ignotas, æquore vecta, plagas.
Dum longo pugnant alii certamine, vincunt;
Bellatrix palmam, dum fugit, iſta refert.

S. PRÆJECTI Epiſcopi Arvernorum, & Martyris.

EPIGR. LXIX.

DIſpenſas parcæ convivis fercula menſæ;
Suppetit at piſcis copia nulla tibi:

Hau-

Haurit aquas famulus puri dum fontis ad undas,
Hydria præmagno turgida pisce redit.
Ludere prodigiis nosti præstantibus; hamus
Est tibi, dives aquis quæ prius urna fuit;
Aequore perque sinus imæ telluris ab alto
Ad nutum properat squamea turba tuum.

ALIUD

Epigr. LXX.

EEmaciata fame, tritisque inculta lacernis,
Clamitat ante tuas indiga turba fores:
Non tibi subsidium par suppetit; ære minuto
Sacculus esuriens nam leve pondus habet:
Explorat loculos tua sed dum dextera, multo
Auctior argento pulsa crumena sonat:
Succrescit quæ mira novo tibi, Præsul, acervo
Copia, spes inopum jam saturare potest.
Quæ tua te pietas miseris succurrere cogit,
Est radix, loculos apta replere tuos.

S. POPPONIS Abbatis.

Epigr. LXXI.

EXcipit hospitio membris languentibus ægrum,
Quem multo scabies ulcere fœda tegit:
Componit mundo sordentia membra cubili;
Angustoque cubat proximus ipse thoro.
Non timet ille luem: scabies dum victa recedit,
Candorem puri pectoris illa timet.

ALIUD

ALIUD

EPIGR. LXXII.

OBsita Lictorem Stygium qui corpora torquet,
Incusso palmæ verbere, Dive, fugas.
Obsequium didicit tortor deferre; pudorem
Perdita nam facies discere non potuit.

ALIUD

EPIGR. LXXIII

AD cineres quæ viva tuos funalia flagrant,
Amittunt nullo turbine victa jubar.
Aequora pugnantes tollunt ad sidera venti;
Excindunt domitis robora dura jugis;
Sed licet effusis contra luctentur habenis,
Non pavet ad resonas flammula clara minas.
Quis credat lento concretas glutine ceras?
Quis putet has tenui luce micare faces?
Aeoliis tanto dum robore flatibus obstant,
Astra reor tumulo, Dive, nitere tuo.

XXVII. *Januarii.*

S. PAULÆ Viduæ.

EPIGR. LXXIV.

DEseris augustas Romana superbia moles
Queis domito victrix extulit orbe caput;

Ho-

Hoſpite mox luſtras ſacratas Numine terras,
In teneras avido pectore prona preces:
Bethlææ demum ſubſiſtis rupis in antro;
Et colis Infanti cognita tecta Deo:
Divino tribuit quæ jam cunabula Regi,
Matronæ condit membra ſepulta, ſpecus:
Quin etiam cunas dedit illa; exordia vitæ
Certa novæ in ſuperis dum trahit inde plagis.

XXVIII *Januarii.*

S. JACOBI Eremitæ.

EPIGR. LXXV.

TErgeminis cœco luſtris licet abditus antro,
Umbroſi nemoris concava ſaxa colat;
Ora licet macie circumferat obſita, cultu
Vixque ægros artus aſperiore trahat;
Proh facinus! ſpolium violati turpe pudoris,
Virginis & cæſæ probra nefanda tulit:
Dux Erebi, hortator ſcelerum, ſed divite præda
Non abiit, ſtrato lætus & hoſte, diu.
Criminis hinc Divũ gelidus circumſtetit horror,
Et quatit occulto conſcia corda flagro;
Allicit hinc ſuperi Regis clementia, ſervos
Quæ tulit haud umquam deſeruiſſe ſuos:
Solvitur in lacrimas; meritaſque, ſuperſtite vita,
Sub tacito pœnas ſolvere corde vovet.
Quid faceret? poſtquam fœdavit crimine tanto
Per longas coluit quæ prius antra moras,
Scrutatur tenebras; caveaque horrente ſepulcri
Includit reliquos corpora viva dies.

Non

Non modus excussis hic tundere pectora palmis,
Non modus undantes imbre rigare genas:
Integrat hic questu assiduo miserabile carmen,
Cui reddunt mœstos saxa repulsa sonos.
Bina gemens densis traduxit lustra tenebris,
In duram nudo pectore pronus humum.
Indue, Dive, hilares vultus; ad sidera frontem
Erige; pacato Numine, cerne diem:
Quam pernox luges, fletu est extincta decenni;
Et manet in tumulo culpa sepulta tuo.

S. MARGARITÆ Regis Hungarorum Filiæ.

EPIGR. LXXVI.

AMne minax lato dum turgidus obruit agros,
Ad Divæ nutum continet Ister aquas:
Subsidunt medio damnosa incendia cursu,
Dum celerem supplex Numina poscit opem.
Pannonici Regis quæ jam generosa propago
Regales renuit fortis adire thoros,
Sceptra manu majora gerens, nunc imperat undis,
Imperat & flammis, Mulciber, illa tuis.

XXIX. *Januarii*.

S. VALERII Trevirorum Episcopi.

EPIGR. LXXVII.

FLavicomi regnant quam late Teutones, auctus,
Præside te, fulsit Relligionis honos,

Rel-

Relligio miris te clarum eventibus ornat:
Tu palmas auges illius, illa tuas.

XXXI. *Januarii.*

SS. CYRI Abbatis, & JOANNIS Martyrum.

Epigr. LXXVIII.

DEserit oppressos artus horrentis Averni,
Exuviis Divûm territa, torva phalanx.
Ah, fugite hinc Erebi crudelia monstra: favillis
In vos fulmineis æstuat iste cinis.

S. MELANÆ Romanæ.

Epigr. LXXIX.

INgenua primis forma spectabilis annis,
Nupta viro, & generis nomina clara trahens,
Fulgentes vestes non abnuit, aspera setis
Cingula sed cruciant abdita molle latus.
Qui, pia fucato simulantes pectora vultu,
Personam ficta relligione gerunt,
Ludibrium debent Erebi cultoribus; ipsæ
Dum misera sordes ambitione tument:
Ornatam nitido sed contra vestis amictu,
Te personatus tollit ad astra rigor.

S. MAR-

S. MARCELLÆ Viduæ.

EPIGR. LXXX.

EFfera gens, gelida rapuit quam cœcus ab Arcto
  Ambitus, atque auri non saturata fames,
Romuleam victrix furiis immanibus urbem
  Diripit, & veteres depopulatur opes.
Impete dum rabido, ferroque effrenis & igne,
  Cæde madens, vastat compita, templa, domos,
Infandum! titulis Matrona insignis avitis,
  Exigit innocuos quæ sine labe dies,
Sustinuit sævi truculentas agminis iras,
  Probrosi duro verbere cæsa flagri.
Munere sed Superûm, Divæ de cæde furenti
  Latronum turbæ non tumuisse licet:
Romaque non meruit, servato pignore tanto,
  Barbaricæ dici capta furore manus.



ELOGIA SANCTORUM
MENSIS FEBRUARII.

1. *Februarii*.

SS. PIONII, & Sociorum Martyrum.

EPIPR. I.

CUm ſociis cœco eruitur de carcere, collo
 Stridentis ferri pondera dura trahens:
Trunco fixa rudi clavis immitibus, ignis,
 Auctus turbineo flamine, membra vorat.
Effulgens mira radiat ſed luce cadaver;
 Et roſeus pulchro vernat in ore color.
Quæ tanta nunc luce nitent, conſumere flamma
 Cur auſa eſt ſubito funere membra, rogas?
Abſumunt ſacros artus incendia, Divo
 Invida ſidereum ne remorentur iter.

S. EPHRAEM SYRI.

EPIGR. II.

LAbe carens longum quamvis traduxeris ævum,
 Prodigiis toto clarus in orbe tuis,
Ultima ſupremas ſignat cum cera tabellas,
 Laudari populi tu tamen ore vetas.
Falleris, egregiæ fugiens præconia vitæ:
 Non tua vitari laus ſine laude poteſt.

S.SE-

S. SEVERI Episcopi Ravennatis.

EPIGR. III.

PAstorem collecta novum dum destinat aris,
Fluctuat & dubio pectore, turba frequens,
Tu quoque, pannoso templum male tectus amictu,
Semota latitans in statione, petis.
Publica dum supplex oras in commoda, frontem
Obsidet è cœlo missa columba tuam:
Illa repulsa licet validis bis terque lacertis,
Ad sacrum revolat prodigiosa caput.
Omine Cœlicolûm dextro lætata, salutat
Custodem vidui te pia turba gregis.
Non dubitanda tulit veri præsagia, pennis
Candida quæ niveis nuncia fulsit avis.

S. LAURENTII Archiepiscopi Cantuariensis.

EPIGR. IV.

INdomitos, flavo nitidos & crine Britannos
Flectis ad augustæ signa verenda Crucis:
Sacrilega excindis vultus imitata Deorum
Marmora; Cœlicolis splendida templa locas.
Semota extremis quæ dicitur Anglia terris,
Est meritis Cœlo proxima, Dive, tuis.

III. *Februarii.*

SS. CELERINI, & Sociorum MM.

EPIGR. V.

ILlustri qua stirpe trahis natalia, fœtu
  Ubere, palmarum floruit alma seges:
Tu duris vinctus laqueis plantasque manusque,
  Confectus longa pallidus ora fame,
Acceleras exempla sequi dum splendida, factis
  Confirmas omen nominis ipse tui.

IV. *Februarii.*

SS. PHILOREMI, & PHILOÆ MM.

EPIGR. VI.

INvicto pœnas dum pectore sustinet alter,
  Intrepidæ cladis præmia digna tulit:
Alter, dum properat velox ad funera, mittit
  Ad socios propria verba notata manu:
Magnanimos Pugiles generosæ occurrere morti,
  Vincula, flagra, necem non metuisse monet;
Quas calamo primum pararavit, funere claro,
  Subscripsit proprii sanguinis imbre notas.

S.THEO-

S. THEOPHILI Confessoris.

EPIGR. VII.

QUi prius innocuæ traduxit tempora vitæ;
Et coluit firma jusque piumque fide,
Solicitat magicas ultro male credulus artes,
Dum cœca demens ambitione furit:
Ille etiam, dictu horrendum! se mancipat Orco;
Subscribitque sua fœdera pacta manu.
Interea tremit occultis mens territa noxis;
Se pernox furiis torquet & ipsa suis:
Prætrepidat vitam exosus, spe perditus; ardet
Nunc flammis, rigido nunc stupet ille gelu:
Sidereo demum revocatus lumine, voto
Suplice, Jessæa à Virgine poscit opem:
Illa viam densa mersis caligine monstrat;
Illa regit trepidas anchora firma rates:
Pectora compressis plangit liventia palmis;
Irriguisque genas fletibus ille rigat:
In longos ducit soles iejunia, noctes
Continuat precibus pervigil, atque dies.
Oranti superæ Regnatrix adfuit aulæ;
Pacatæ veniam Prolis & ille tulit:
Conscia consensus fœdi, scelerata papyrus
In medios jacitur dilacerata focos.
Felix sorte tua: dum, quas tibi culpa paravit,
Sustinet ardentes pagina sola faces.

S. REMBERTI Episcopi Bremerensis.

EPIGR. VIII.

QUadrupedem nitidum, veheris quo, Dive, puellæ
 Captivæ pretium barbara turba petit:
Desiliens pactum saltu, mora nulla, citato,
 Et cultu ornatum divite, solvis equum:
Amissum, Præsul, ne credas: serviet usu
 Hic olim sonipes nobiliore tibi:
Sidera laurigero scandes cum celsa triumpho,
 Victorem dorso te feret ille suo.

v. *Februarii*.

S. ISIDORI Martyris.

EPIGR. IX.

TEmpora submittis gladio, bellator in armis
 Quæ fortis lauro cincta virente geris:
Hostili laurus marcescet sanguine parta;
 Sed non deficiet sanguine parta tuo.

S. BERTULPHI Abbatis.

EPIGR. X.

DUm sævit pluviis tempestas horrida nimbis,
 Atque aer crebro scissus ab igne tonat,
Protegit expansis alis regina volucrum
 Obsequiosa tuum, nocte rigente, caput.
Quanta viri laus est, cœli cui tela repellit,
 Quæ valido vindex ungue ministrat, avis!

ALIVD

ALIUD

EPIGR. XI

ARdenti ſacram quæ turbine corripit ædem,
 Exuviis parcit flamma retenta tuis.
Procumbunt aræ, flagrant velamina, templum
 Æſtuat, horriſono murmure tecta ruunt.
Sponte magis credas ſæviſſe incendia laudem,
 Servata ut meritam clarius oſſa ferant.

VI. *Februarii.*

SS. FAUSTÆ, EVALESII, & MAXIMI Martyrum.

EPIGR. XII.

IN primo ætatis vernantem flore Puellam
 Conſpirat gemini Præſidis ira ferox.
Expediunt clavos, gladios, flagra, vincula, flammas;
 Suplicii, Virgo, te genus omne gravat.
Non ſatis eſt pœnas inter geſtire; Tyrannum
 Ignibus è mediis increpitare, leve eſt:
Ritibus à patriis revocat generoſa Miniſtros
 Cæſaris immites, aſſociatque ſibi:
Hos ſibi conſortes diris cruciatibus æquat;
 Æquat & optatæ cladis honore pares:
Hos demum ardenti ſecum ſartagine clauſos
 Ad ſuperas ſævo duxit ab igne plagas.

Præfidibus geminis comitata infcendit Olympum,
Vulnera quæ gemino à Præfide dura tulit.
Cœca fuperftitio, totis expellere terris
Te potuit tanto robore firma fides.

ALIUD

EPIGR. XIII.

SCindere dum Divam dentatæ lamina ferræ
Non valet, inque auras nifus inanis abit,
Infremit indignans fruftratus tortor, & arma
Projicit irata, ceu vitiofa, manu:
Falleris, o Lictor; quæ tractas afpera tactu
Inftrumenta necis, funt male nota tibi:
Quæ Divæ exacuit toties iterata vigorem,
Non eft obtufa cufpide ferra mihi.

S. DOROTHEÆ Virginis & Martyris.

EPIGR. XIV.

AD fævam graderis laqueis dum vincta fecurim,
Ætherei celebras, Divaque, veris opes,
Irrifor nequam, fuperos cum videris hortos,
Mitte illinc, dixit, poma, rofafque mihi:
Adfuit extemplo ftellatæ fedis Alumnus,
Mifta recens natis poma tulitque rofis:
Expavit nova monftra videns contemptor; amaro
Concidit & gemitu Virginis ante pedes:
Perfufus lacrimis, generofa voce Tyrannum
Increpat, & claram fuftinet enfe necem.
Quæ modo defpexit ficto pomaria rifu,
Ille fibi veris fletibus empta parat.

ALIUD

ALIUD

EPIGR. XV.

ELysios frondibus lustrasse nitentibus hortos
Mentitur Phrygium garrula fama Ducem:
Elysiis fruitur sed non mendacibus, auro
Splendida qui gestat talia poma manu.

S. VEDASTI Episcopi Atrebatensis.

EPIGR. XVI.

SIdera non parcunt miris extollere signis,
Quam colit innocua cum probitate fidem:
Laurigeram ut frontem lustrali aspergeret unda,
Sequanico Regi prætulit ille facem:
Non falsi potuit ritus jacuisse tenebris,
Cui tantæ fulsit lucis oborta dies.

S. AMANDI Episcopi Trajectensis.

EPIGR. XVII.

IN tua conspirat numerosus fata satelles;
Expedit in jussam sævaque tela necem:
Dum gressu approperant rabido, ruit imber aquarũ;
Et Cœlum trifidæ personat igne facis:
Turbine fœta ruit cœco nox horrida; vultus
Diraque Lictorum non videt ira tuos:
Agnoscit subito densæ quid noctis amictu,
Murmure quid tanto Numina læsa petant;

Ad

Ad Divi plantas procumbit, pectora plangit
Pulsa manu; veniam stratàque turba rogat.
Tam bene quæ sedat Tortorum corda, sereno
Tempestas quovis clarior illa fuit:

VII. *Februarii*.

S. THEODORI Martyris.

EPIGR. XVIII

ORe venenato vastantem culta Draconem
Territa commoto pectore turba fugit.
Tollentem cristas, & cærula colla tumentem,
Sibila dum tetro gutture longa jacit,
Aggreditur Divus; generosum pectus obarmat
Augustæ signo sed prius ille Crucis.
Vix iniit pugnam, fœdam cum saucius alvum,
Sanguine deficiens anguis inundat humum;
Concidit; immorsaque jacens distentus arena,
Occupat, infestus quos populavit, agros:
Attollit frontem tamen inde; superbit in ipso
Funere; sponte putes sic voluisse mori.
Lætatur coluber vinci, quo vindice Signo
Deposuit Stygius colla superba Draco.

S. PARTHENII Episcopi Lampsaceni.

EPIGR. XIX.

A Divo obsessor Lictor qui pellitur Orci;
Quæ me conjicies in loca, Præsul? ait:

Ille

Ille refert: loca digna coles; non, more recepto,
Ad fœdos jubeo te properare sues:
Me pete; quaque vales rabie furibundus in artus
Sævire haud parcas, Bellua dira, meos:
Horruit ille tremens demissæ ad murmura vocis;
Cocyti & pavitans ocius antra petit;
Suspicor atque omnes Erebi conterruit Umbras
Exempli novitas, Dive, relata tui.

VIII. *Februarii*.

S. EUGENII Confessoris, & MARIÆ filiæ Virginis.

EPIGR. XX.

NAta virum simulans, pater & pia septa frequen-
Ad vitæ stimulant quæ melioris iter. (tant,
Celsa brevi petit astra pater post tempore; proles
Austeræ cultrix sola relicta domus.
Decepti præclara stupent exempla Sodales,
Quæ trahit in longos asperiora dies.
Non tulit egregias laudes veterator Averni;
Occulta & fraudes subdolus arte parat.
Fœmina, quæ thalamum fœdavit adultera, Divam
Insimulat castum solicitasse thorum.
Imperat innocuam sacro decedere Præses
Limine, cui rigidi tradita cura laris.
Tergeminos annos algentia frigora, nudo
Et trahit Icarias sub Jove jussa faces.
Increpita infensis monitis, vultuque severo,
Ad pia vix demum tecta, vocata, redit.

Vi-

Vile ministerium, duros & passa Magistros,
Atterit hìc teneras fracta labore manus.
Serva diù, adversis postremo exercita fatis,
Quæ meruit clara præmia more tulit.
Dum socii assueto componunt morte cadaver,
Detexit veteres fœmina visa dolos;
Vexatamque diu supplex nunc cœtus adorat;
Et veniam palmis pectora pulsa rogant.
Quo despecta magis jacuit dum vita manebat,
Siderea Virgo clarior arce micat.
Palmigeras inter meruit radiare phalanges:
Tortoris sævam quærere parce manum:
Tot probra sustinuit læsi quæ falsa pudoris,
Ipsa sibi tortor, pœna simulque fuit.

S. PAULI Episcopi Virdunensis.

EPIGR. XXI.

Contigit excoctæ Cereris tibi cura parandæ,
Cœnobii, Præsul, dum pia tecta colis:
Hora vocat Socios ad parcam proxima mensam;
Sed non excusso clibanus igne nitet:
Fronte cucullata connitens ostia furni,
Fumeus ardet adhuc dum vapor, ipse subis:
Submovet excurrens reliquas dum dextera prunas,
Æquat & ignitum per latus omne solum,
Fervidus inductos ardor non afflat amictus;
Non lædit celerem flamma retenta manum:
Inferre interea acceleras Cerealia crusta;
Protrahat ut nullam sobria mensa moram;
Sobria si dici possunt, quæ lauta parantur
Prandia, prodigiis & pretiosa tuis.

IX. *Fe-*

IX. *Februarii*.

S. NICEPHORI Martyris.

EPIGR. XXII.

IN te Sapricius furiis hostilibus ardet,
Qui tibi jam socio fœdere junctus erat:
Sæpe rogas veniam, siquid deliqueris; ictu
Sed vano pulsant pectora dura preces:
Suplicia, immitis quæ sæpe iterata Tyranni
Exercet rabies aspera, lætus adit;
Dum votis suplex instas, pacemque requiris,
Ceu venti obdurat flamine pulsa silex:
Gaudentem cernis dum sævæ occurrere morti,
Conferta approperas obvius ipse via;
Procumbis genua amplexus; sed suplice vultu
Quam rogitas veniam cernuus, ille negat;
Pendentem simul excussit cervice securim;
Impia sacrilegis thura crematque focis.
Numina confestim damnans tu falsa, parato
Cervicem ferro subjicis ipse tuam:
Ille odio sævit; palmam tu subripis illi:
Aptior in prædam dextera nulla fuit:
Transmigrat ille ira demens ad tartara; pulchri
Tu furti pretium sidera celsa premis.

ALIUD

EPIGR. XXIII.

PRædones alii docuerunt vivere rapto;
Tu rapto vitam claudere, Dive, doces.

S.AN-

S. ANSBERTI Episcopi Rothomagensis.

EPIGR. XXIV.

IN tumulo fulgent, Præsul, tua brachia, signat
  Quæ Crux purpureis prodigiosa notis.
Sunt hæc nimirum vestigia clara, tulisti
  Quam docilis, viguit dum tibi vita, Crucis.

S. AUSTREBERTÆ Virginis.

EPIGR. XXV.

IRriguas vitrei ludens dum fontis ad undas,
  Exploras vultus, casta Puella, tuos,
Ornatam velo reddit te lympha, recessus
  Quod tu mox sacri limine clausa geres.
Non est, quod rigidi expectes velamina claustri,
  Missa tibi excelso quæ prius axe micant.

ALIUD

EPIGR. XXVI.

NArcissus periit, pura spectator in unda
  Dum nimium formam deperit ille suam:
Clara novæ spondet tibi sed primordia vitæ,
  Quæ reddit vultus vitrea lympha tuos.

X. Fe-

x. *Februarii*.

S. GUILLELMI Ducis Aquitaniæ Eremitæ.

EPIGR. XXVII.

FErrata in prædas quæ te lorica furentem,
Et multo fœdum ſanguinis imbre, tulit,
Crimina dum luges, duris adſtricta catenis,
Nunc torquet nudum, pœna ſevera, latus.
Qui talem potuit poſt vulnera ferre ſalutem,
Ille tibi thorax, Pelias haſta fuit.

ALIUD

EPIGR. XXVIII.

LOricæ ærato dum tegmine pectus obarmas,
Quam bene, Bellator, conſulis ipſe tibi:
Tartarus innumeros in te dum comparat hoſtes;
Appoſitè munis ære rigente latus.

xi. *Februarii*.

SS. SATURNINI, DATIVI, FELICIS, & aliorum Martyrum.

EPIGR. XXIX.

DUm monumenta ſacris propugnat tradita chartis,
Sacrilegis flagrent ne lacerata focis,

Ter-

Terrificis generofa phalanx exercita pœnis,
Exiliens tuto tendit ad aftra gradu:
Scripta fidem faciunt; quæ propugnata falutis,
Magnanimi teftes atque vigoris habet.

S. SEVERINI Abbatis Agaunenfis.

EPIGR. XXX.

FRancigenûm Regem, morbofa tabe retentum,
Longinqua accitus de regione petit.
Ingreditur vix ille viam, cum vincula foluit;
Queis potis eft nullos edere lingua fonos:
Ulcera mox turpi fcabie fquamofa, falivæ
Infperfæ madido protinus imbre cadunt.
Quæ fuprema aliis eft laudum meta, fuiffe,
Silvarum cultor, quis tibi credat iter?

XII. *Februarii*.

S. MELETII Epifcopi Antiocheni.

EPIGR. XXXI.

DUm furit in Divũ Præfes, plebs concita fervet;
Torquet in invifum faxaque dura caput:
Accurrit propere; finuofæ veftis amictu
Amplexa & Præful Præfidis ora tegit:
Mitem animum facili nec difcis ab indole, Præfes,
Mitior ex odio dum fuit ille tuo?

S.AN-

S. ANTONII Patriarchæ Conſtantinopolitani.

EPIGR. XXXII.

LAſſatus nunquam miſeræ ſuccurrere turbæ,
Argento, Præſul, deficiente doles;
Incola ſidereus cum te petit obvius; auri
Inſerit inque tuam pondera multa manum.
Aligeros cœlo lapſos habuiſſe Miniſtros
Quæ meruit, pietas, dic, age, quanta fuit!

XIII. *Februarii*.

S. MARTINIANI Eremitæ.

EPIGR. XXXIII.

QUæ nemoroſa colis, Stygia de plebe ſatelles
Concuſſa horrendo tecta tremore quatit:
Audacem increpitas, pavitans fugit ille; cavernas
Tartareaſque ſono cum reboante redit.
Non Divi, anguſta quaſſata ſede; ruinam
Bellua moliris ſed truculenta tuam.

ALIUD

EPIGR. XXXIV.

COrniger, incaſſum valido de robore turges,
Dum quatis horrifica ruſtica tecta manu:
Gloria nempe ingens, dum vires exeris omnes,
Sternere ſtramineam te potuiſſe caſam!

ALIUD

Epigr. XXXV.

Silvicolæ oppugnas congeſtum ceſpite tectum,
Qui ſceptrum Regni nocticoloris habes:
Bellator vilis, quid inania prœlia miſces?
Concute inoffenſam, qua valet ille, fidem:
Pectoris invicti firmam ſi ſtraveris arcem,
Laus tibi tunc ingens, tunc mihi victor eris,

xiv. *Februarii*.

S. VALENTINI Presbyteri.

Epigr. XXXVI.

Aſterii natam dum caſſam lumine ſoli
Reſtituis, damnat Numina falſa pater.
Orta dies natæ, verum peritura; parenti
Effulſit nunquam ſed peritura dies.

S. VALENTINI Epiſcopi Interamnenſis.

Epigr. XXXVII.

Contracta in nodum diſſolvis membra puelli,
Veſte ſuper ſtratus dum cubat ille tua.
Talia quæ præſtat, ſetis licet aſpera, veſtis,
Eſt mihi regali murice clara magis.

ALIUD

ALIVD

EPIGR. XXXVIII.

HIrſuto ſtratum puerum dum vellere cernis,
Qui membra infelix agglomerata trahit,
Exclamas forſan turbato pectore; curat
Diſtortum Præſul, torquet an ille magis?
Suppoſitis geminat Divus miracula ſetis,
Quæ Divûm ſoboles cætera, ſola facit.

S. AUXENTII Abbatis.

EPIGR. XXXIX.

DUm tunicam te poſcit inops, diſcede, reponis;
Utque aliam mittant, Numina celſa roga:
Tradideras miſeris nimirum induſia turbis
Plurima; quam geſtas, unica veſtis erat:
Clara micat pietas tua dum ſuccurrit egenis;
Dum negat, emicuit clarior illa tibi.

XVI. *Februarii*.

S. ONESIMI Martyris.

EPIGR. XL.

SErvus eras: generoſa ſubis dum funera virgis,
Jam rude donatus, liber ad aſtra volas.

S. JULIANÆ Virginis, & Martyris.

EPIGR. XLI.

ASpera demisso traheret cum vincula collo,
Vincta pedes, teneras vincta Puella manus,
Olli Erebi Lictor miro fulgore refulsit,
Siderei civis subdolus ora ferens;
Mentitusque pios vultus, in funera, dixit,
Grata Deo Virgo, quo male sana ruis?
Ipse tibi summis misit me Sponsus ab astris;
Et monitus, docilis quos sequerere, dedit:
Non ille hos ultra proscindi sustinet artus,
Pectora non duris dilacerata flagris:
Heu, male deformas, quos deperit ille, capillos,
Pendula quos fluido fœda cruore geris:
Num ferat ignitum sævisse in mollia ferrum
Ubera, non tacta candidiora nive?
Si rigidis reputas lætari Numina pœnis,
Falleris; asperitas non decet ista Deum.
Cæsaris imperio quin flecteris? aurea Divûm
Inque breves saltem quin colis ora moras?
Crimen abest cultu; si cultu crimen in illo est,
Lacrima mox noxam diluet una levem:
Si nescis, Sponsus nimis est placabilis; illi
Magnanimo pietas plurima corde viget.
Diriguit dictis Virgo conterrita; miris
Corde sub ancipiti fluctuat atque modis:
Impia verba sonant; verbis sed forma repugnat,
Nunc ea suspectam, nunc facit ista fidem.
Vertitur ad Cælum; dubiæ succurrere menti
Et prece solicita Numina celsa rogat.

Pro-

Prodigiis fit certa fides: quæ dura premebant
  Innocuos artus vincula, ſponte cadunt.
Tartarei patuere doli: non corpora ſolum,
  Diſſolvunt mentis ſed quoque vincla metum.
Exſurgit Virgo; meritaſque repoſcere pœnas
  A capite inviſo nobilis ira flagrat.
Nec mora: ſtridentis disjecto pondere ferri
  Mendacis monſtri colla proterva gravat:
Nec ſatis: æratis religatos nexibus artus
  Verberat ultrici terque quaterque manu:
Roboreis cæſum virgis, tectumque pudore,
  Tartareos demum juſſit adire lacus.
Hos animos fortaſſe Parens ſi prima tuliſſet,
  Nullus, qui terras perderet, anguis erat.

SS. PAREGORII, & LEONIS Martyrum.

EPIGR. XLII.

SIdereas poſtquam tenuit Paregorius arces,
  Quem fera crudelis ſuſtulit ira manus,
Optatæ jungi flagrat Leo munere ſortis,
  Cui parili vitæ fœdere junctus erat;
Annuit & votis Numen; nam torridus amnis
  Demerſum tumidis in mare vexit aquis.
Acceleraſſe gradus rapido cum gurgite credas,
  Ut Socii poſſet funera clara ſequi.

xix. *Februarii.*

S. AUXIBII Episcopi Soliensis.

EPIGR. XLIII.

AD cineres dum, Dive, tuos obsessa malignis
Cocyti monstris, plurima turba migrat,
Agmina vix ingressa viam tu, lapsus ab astris,
Dimittis nutu libera facta tuo.
Quam bene nos docuit prævertere vota precantum:
Vix quidquam pietas lenta favoris habet.

xx. *Februarii.*

SS. SADOTH Episcopi, & Sociorum Martyrum,

EPIGR. XLIV.

REgis Achæmenii rigidam subiere securim
Imperio, solem dum coluisse negant.
Perfide Regnator, solem, quem stultus adoras,
Cæsa triumphali nunc pede turba premit.

S. EUCHERII Episcopi Aurelianensis.

EPIGR. XLV.

SPonte sua renovat ceras fax candida, Divi
Quæ puro ad tumulum pervigil igne nitet:

Ex-

Extincta æquali succrescit pondere ; candor ;
Formaque, flagranti quæ fuit ante, manet.
Qui factum rogitas ? superis advecta viretis,
Hæc, reor, æthereæ dona tulistis apes.

XXI. *Februarii*.

S. PIPINI, primi Ducis Brabantiæ.

EPIGR. XLVI.

EXuvias fax multa tuas comitatur ad urnam,
Dum longo suplex ordine turba migrat ;
Impete nulla tamen ventorum læditur, algens
Horrificos quamvis ederet aura sonos.
Francigenûm, dum vita fuit, qui flexit habenas,
Extinctus pennis imperat, Eure, tuis.

XXIV. *Februarii*.

SS. MONTANI, LUCII, JULIANI, & aliorum Martyrum.

EPIGR. XLVII.

ESuriem, virgas, sævo cum carcere flammas,
Impavido præstans pectore turba subit.
Aspera fronte ferunt læta certaminà ; mœsta,
Quæ dilata timent, funera fronte ferunt.

XXV. *Februarii*.

S. TARASII Epifcopi Conftantinopolitani.

EPIGR. XLVIII.

COnfectus fenio Præful, jam morte propinqua,
Expectat meritis præmia digna fuis:
Languentem morbo Ditis de valle profunda
Egreffæ invadunt, affiliuntque feræ.
Quam diræ facies! vibratis cornibus inftant;
Obfidet exiguum plurima turba thorum;
Exertant fœdos incomptis faltibus ungues;
Perftrepit horrifico cauda rotata fono:
Effrena incaffum rabie domat ille furentes,
Et fugat impreffa Tartara ad ufque Cruce.
Quanta viri virtus, dum monftra horrentis Averni
Vincere vel ftrato corpore tanta poteft!

XXVI. *Februarii*.

S. NESTORIS Epifcopi.

EPIGR. XLIX.

QUadrifida clavis affixus ab arbore pendet;
Adftringitque fuo robora chara Duci.
Dum circum fervet fera turba, filentia pofcit;
Solvit in eftremos lætus & ora fonos:

Quæ

Quæ maneant cælo infidos ſub Tartara pœnæ,
Quæ fidos maneant præmia, Dive, mones:
Extimulas claræ ſocios occurrere morti;
Tortorum ſævas nec timuiſſe minas.
Proficiant valido hortatu licet ora, perorat
Acrius, irriguo qui fluit imbre, cruor.

S. PORPHYRII Epiſcopi Gazæ.

EPIGR. L.

TErgemini ad putei labrum declive puelli
Dum ſaliunt feſtis, ludicra turba, jocis,
Præcipiti horrendum nutantia membra fragorem
In pronum lapſu dant revoluta caput.
Eventu miſero Præſul triſtatur; & ima
E cavea educi corpora merſa jubet:
Apprenſo ſcrobis ima petit qui fune, profundas
Dum nitens pueros quæritat inter aquas,
Obſtupuit, niveo nixos cum marmore cernit;
Feſtivo & lætos ore ciere ſonos.
Extractis non ulla manent veſtigia labis;
Livor in arenti corpore nullus erat.
Surgite felices, ad ſidera ſurgite lymphæ;
In celſa & reſonum nubila murmur eat:
Aequavit puteus longo poſt tempore laudes;
Attonita fornax quas Babylone tulit.

S. VICTORIS Confessoris.

EPIGR. LI.

APproperas hausturus aquas dū fontis ad undas,
 Ceu fuerit vitis, fons tibi vina dedit.
Quam fugit iratus, rabido cane pejus, & angue,
 Fœdera cum pura Naïade Bacchus habet.

XXVIII. *Februarii*.

SS. ANDRONICI, & ATHANASIÆ Conjugis.

EPIGR. LII.

TEmpla Palæstinæ lustrare remota, relicto
 Festinant thalamo Sponsaque, Virque simul.
Sponsa virum simulat: sacra sub veste superno
 Perpetuam Regi spondet uterque fidem.
Erravere diu: diverso tramite tandem
 Carpere, quæ superest, sed statuere viam:
Dum sacra silvarum vestigant claustra colentes,
 Sol revehit rapidis plurima lustra rotis.
Occurrit male nota viro forte obvia Conjux,
 Cui sulcat rugis curva senecta genas:
Alloquia associant; simul & divertere in ædes
 Funigeri cœtus mens subit una duos.
Austeros victu rigido dum transigit annos,
 Uxoris clausit lumina, sera dies;

De-

Deprenſo patuit ſexu tunc fœmina ; Sponſum
 Detexit Sponſæ charta notata manu :
Obſtupet ille ; ſacros cineres & pronus adorat :
 Ardentes fundit cætera turba preces.
In Divæ exequias Syriæ fremit excita tellus,
 Silvicolæ ex omni dum regione migrant :
Cultores palmoſa ſuos tranſmittit Idume ;
 Tranſmittit cælo proxima Sina ſuos.
Centum fama tubis vulgat decora alta ſonoro
 Murmure : nota minus, ni latuiſſet, erat.

SS. LUPICINI, & ROMANI Abbatum.

EPIGR. LIII.

CÆlicolûm Regi proſtrato corpore fundunt
 Dum largas, lacrimis ore madentè, preces,
Turba minax Erebi veſano murmure ſævit ;
 Deſuper & lapidum pondera magna jacit.
Stulta, quid incaſsum vires, rabiemque fatigas ?
 Effera nil rabidæ proficit ira manus.
Quæ cælo degunt longo defixa precatu,
 Non poſsunt ictus corda timere tuos.

ELOGIA SANCTORUM
MENSIS MARTII.

1. *Martii*.

S. ALBINI Episcopi Andegavensis.

EPIGR. I.

VOce rogas veniam, vincti quā carcere poscunt,
Sed surda Judex excipit aure preces:
Aeratam ad turrim properas, & suplice voto
Subsidium miseris, versus ad astra, petis:
Scinditur extemplo paries; cæmentaque turbæ
Captivæ latum fracta dedere locum.
Dura fuit muri obstantis structura; precantis
Robora sed Divi firma fuere magis.

S. SILVESTRI Episcopi Verdensis.

EPIGR. II.

MIrifico thalamus, turba spectante, coruscat
Lumine, quo genitrix te paritura cubat.
Auroræ quæ non dispar lux æmula fulsit,
Scilicet illa novi nuncia Solis erat.

ALIUD

EPIGR. III.

AD vitam Divi revocatur voce, furentis
Obruerat Rhæni quem prius unda, puer,
Mar-

Marmorei extinctum frustra ad simulacra Gradivi
 Spe vana genitrix quem tumefacta tulit.
Qui mersum surdus servet lapis? ipse profundo
 Qui mergi Rhæni gurgite dignus erat.

ALIUD

EPIGR. IV.

UT redeat furtim direpto ditior auro,
 Ad tumulum properat turba proterva tuum:
Sed dum, quæ fixæ decorant latus omne, nitentes
 Scindere bracteolas dextra profana parat,
In sublime tulit sese arca; & cuspide crebra
 Audaces feriunt ipsa metalla manus.
Expectant alii pœnas post crimina; discunt
 Nunc ipsa audaces plectere furta reos.

ALIUD

EPIGR. V.

NOn eget armatis defendi hæc urna catervis;
 Excubias præstat nam satis ipsa sibi.

S. HERCULANI Episcopi Perusini.

EPIGR. VI.

VIctor Hyperborea Scythicus Regnator ab Ar-
 Vallabat muros, Urbs Perusina, tuos: (cto

In-

Innumera langues acie conclusa ; gravemque
  Septenni toleras obsidione famem :
Irrupit demum prædator mœnia miles ;
  Amputat & rabido Præsulis ense caput.
Percita dum tanto tristaris funere, longa
  Pœna fame visa est durior illa tibi :
Sed dum victricis lætaris pignore palmæ,
  Obsidio tanti, dicis, acerba fuit.

S. SIVIARDI Abbatis Anisolensis.

EPIGR. VII.

HInc te Tharsensis Præco, te Claviger illinc
  Sidereas visi tollere ad usque plagas.
Quem Proceres tanti flagrant deducere, cæli
  Non tu de Superûm plebe colonus eris.

S. CEADDÆ Merciorum Episcopi.

EPIGR. VIII.

MEntis inops dum, Dive, tuam pernoctat ad urnam,
  Discusso mentis mane furore redit.
Helleboros alii spumosa per æquora quærant ;
  Anticyra huic oritur nobiliore salus.

SS. EMITERII, & CHELIDONII Martyrum.

EPIGR. IX.

HOrrentis cœcas conjecti in carceris umbras
Membra gerunt duris dilacerata flagris:
Tortoris subito furiosa insania mentem
Abripit; occulto percitus igne fremit.
Cædere non timuit qui Divos, jure furentum
Cogitur Eumenidum verbera dura pati.

S. UVINUVALOCI Abbatis.

EPIGR. X.

DUm sacra nocturni infestant penetralia fures,
Correpti subita procubuere lue:
Deprensos Divus dictis compellat acerbis;
Excussaque simul tabe, valere jubet:
Exsurgit lacrimans; palmis & pectora plangens;
Singultu veniam suplice turba rogat:
Quin etiam sacro poscit subsistere claustro;
Infimaque austeræ munia ferre domus.
Exerces, Monitor rigidus quas corrigis, artes;
Est tua prædatrix & mihi, Dive, manus:
Tam bene latrones qui faucibus eripis Orci,
Egregii titulos ipse latronis habes.

S.CA-

S. CALUPPANI RECLUSI.

EPIGR. XI.

QUà, cœco anfractu caligans, viſcera terræ
Exeſæ rupis tendit in ima latus,
Scrupea tecta colis, quò nec pervadere credas,
Alato fugiunt dum pede, poſſe feras.
Tu tamen horrifico ſpeluncæ immanis hiatu
Traducis longos, & ſine ſole, dies:
Arridet ſaxi rigor ipſe; ſilentia laudas;
Horrida, quæ cautes obſidet, umbra placet:
Hoc ſolum quereris, quod anhelas uberis undæ
Quæ ſedet fauces copia nulla fluit:
Numina ſed ſuplex oras dum celſa, rigentes
Dat, vivo ſaliens pumice, rivus aquas.
Talia prodigioſa ſilex ſi dona miniſtrat,
Divite tam cyatho non bibit ulla ſitis.

S. GUNEGUNDÆ Imperatricis, & Virginis.

EPIGR. XII.

DUm tuto ignitum chalybem pede tranſilit æquam
Afferat ut thalami Sponſa pudica fidem,
Caſtus Amor lætas plaudens ter concutit alas;
Accenſamque illo ter quatit igne facem.

VII.

VII. *Martii*.

S. EQUITII Abbatis.

EPIGR. XIII.

E Doctus magicas deceptor ſubdolus artes,
Villoſo indutus tegmine clauſtra petit:
Cultorem nemorum ſacrum mentitur; in ædes
Atque pias recipi ſuplicis ore rogat:
Noſcis, Dive, lupum ſub ovina pelle latentem;
Lux fulſit ſuperis nam tibi clara plagis:
Ejicis increpitum: longo nec tempore pœnas
Combuſtus Latia luſor in urbe dedit.
Effata ut Divi nimirum vera revelet,
Romano illuxit ſplendida flamma foro.

x. *Martii*.

SS. CODRATI, CYPRIANI, DIONYSII, ANECTI, PAULI, & CRESCENTII Martyrum.

EPIGR. XIV.

E Ffuſo Pugilum maduit quæ ſanguine tellus,
Mirificas ſubito fonte miniſtrat aquas:
Non ſatis illa tamen, largo licet ubere manet,
Tortorum fœdas abluet unda manus.

S. ATTALÆ Abbatis.

EPIGR. XV.

ASpera causati Divi moderamina, sacros
Degeneres Socii deseruere lares:
Addunt mordacis sed dum convicia linguæ,
Atque pii damnant jussa severa Senis,
Vindice pars gladio vitam, submersa reliquit
Pars impacatas æquoris inter aquas.
Præsulis haud nimium possent ut nosse rigorem,
Illis asperior pœna magistra fuit.

XII. *Martii.*

S. PETRI CUBICULARII Martyris.

EPIGR. XVI.

MEmbra flagris tortor scindit crudelibus; acri
Et salis inspergit granula mista mero;
Sanguine distendit demum rorantia crates
Ferrea, supposito quæ prius igne flagrat:
Tu tamen immiti gestis ardente favilla;
Ceu succensa forent floridus æra thorus:
Vera refers: thorus est candentis lamina ferri,
Axe super stabilis quo tibi parta quies.

S.THEO-

S. THEOPHANIS Monaci, & Confessoris.

EPIGR. XVII.

DIspensas inopum turbis, servantur in usus
Quæ parcos sacræ tritica multa domus:
Horrea sed queritur nimium decrescere custos
Austerus cellæ qui Cerealis erat:
Dum jussus modios numerat, nil deficit illis,
Uncia nec numero discrepat una suo.
Prodigium, Lector, mirari desine: fundos
Dextera inexhaustos auxiliaris habet.

XIII. *Martii*.

S. SABINI Martyris.

EPIGR. XVIII.

TE sævus tumido mergi jubet amne Tyrannus,
Servatus precibus qui fuit ille tuis.
Horruit unda nefas; lætari & pignore tanto
Vix illam feritas tam truculenta sinit.

S. EUFRASIÆ Virginis.

EPIGR. XIX.

DUm claustri Præses te vasta abducere saxa
Imperat, inque suum restituisse locum,

Non tu causaris teneros vix nubilis annos,
Quæque tuas superant pondera dura manus:
Brachiolis grandes removes amplexa molares,
In jussumque refers terque quaterque solum.
Non vanus fuit ille labor; dum Numina suplent
Robora, durities saxea vana fuit.

ALIUD

EPIGR. XX.

COnatu, Virgo, non tu lassaris inani:
Non recidit vacuus, qui meret astra, labor.

S. NICEPHORI Patriarchæ Constantinopolitani:

EPIGR. XXI.

EXulat, in Divûm effigies, simulacraque cœco
Impete dum sævi Cæsaris ira furit:
Impavidus terris pugnans tamen ille remotis,
Serpere non ultra dira venena finit;
Crudeli & Cæsar mactatus funere novit,
Extorris longas Præsulis esse manus.

XV. *Martii*.

S. LONGINI Centurionis, & Martyris

EPIGR. XXII.

COrde furens rabido Bellator foderat hasta
Numinis immiti qui latus, ense perit:
En-

Enſe perit ; menti ſed quæ vibrata recurrit,
  Illa etiam partem funeris haſta tulit.
In dubio eſt, utri cladis ſit gloria major,
  Dum ferit hæc animum, dum ferit ille caput.

XVI. *Martii*.

S. ABRAMII Confeſſoris, & MARIÆ Neptis.

EPIGR. XXIII.

CLam ſponſam, tecto abſtruſum ſe paupere condit,
  Vitet ut illuſtris vincula clara thori :
Subſequitur Patruum generoſo pectore Neptis,
  Cui pingit roſeas prima juventa genas :
Veſte rudi dum membra tegunt, jejunia ſervant
  Aſpera dum vigiles, plurima luſtra fluunt.
Virginis elanguens ſed forma exarſit amator,
  Retia blandiloquis nectit & apta notis :
Non ſinit ardentem torqueri Virgo ; pudoris,
  Proh dolor! amiſſi damnaque dura tulit :
Quin addit culpa ipſa novis calcaria culpis,
  Crimina dum veniam vincere, ſtulta putat :
Vile palam ſcortum totas effundit habenas,
  Quocumque effrenam Cyprius ardor agit.
Degenerem Patruus cœleſti lumine ſenſit ;
  Nec miſeræ promptam ferre moratur opem :
Deficiat quamvis ſenio, deponit amictus,
  Queis duro textis vellere tectus erat :
Militis effigiem chlamydati, & nomina fingit ;
  Annoſum nitido protegit enſe latus :

Quæ poſtquam expediit mirus bellator, in armos
Inſilit argutos quadrupedantis equi:
Dum Neptem quærit; rapido quatit ilia curſu;
Huc illuc varias itque reditque vias:
Cauponæ demum ſordentia tecta colentem
Repperit; & læta fronte valere jubet:
Corda Cupidineis mentitur ſaucia telis,
Idaliæ fibras fervere & igne facis;
Blanditias etiam molles, quis crederet? addit,
Pectora quæque valent flectere dura, preces.
Commoda ſed fandi adfuerunt cum tempora, tecti
Arbiter occulta parte nec ullus adeſt,
Detexit ſeſe Patruum; nec parcit amaris
Indignos auſus increpitare modis;
Exactos cultu auſtero ſimul exprobrat annos,
Et fluxam læſa virginitate fidem:
Illa ſalutares ultra procedere queſtus
Non tulit; & mento cernua tangit humum:
Lumina dant lacrimas; veniam ſuſpiria poſcunt;
Et rogat ad rigidos ſponte redire lares:
Exultat Patruus; revehitque ad tecta gementem
Priſtina; belligerum depoſuitque ſagum.
Ne mihi Pelides Briſeide, Ductor Achivûm
Ne Chryſæ abducta prole ſuperbus eat:
Evolve Annales, victores conſule, quotquot
Priſca recensque ſimul Martis arena dedit;
Qui Divi præda miles remeaverit ædes
Ditior ad patrias, nullus in orbe fuit.

S. HE-

S. HEREBERTI Archiepiſcopi Colonienſis.

EPIGR. XXIV.

ABlutis ſacri manibus quæ Præſulis unda
 Defluit, in morbos certa medela venit.
Effuſi laticis mirari deſine vires:
 Prodigiis manans fons erat illa manus.

XVII. *Martii*.

S. GERTRUDIS Virginis.

EPIGR. XXV.

TUrba frequens hilaris ſolvit de littore funem,
 Incolumis monitis, Virgo, futura tuis:
Turgida vix raucos tenuerunt carbaſa fluctus,
 Tempeſtas fœdis cum ruit acta Notis:
Irato horridior pelago, ſe cetus ab alto
 Proripit, & vaſto corpore condit aquas;
Dum magis accelerat, ſpumantiaque exerit ora,
 Brachiaque in trepidam pandit adunca ratem,
Obſidet ora virûm ſtupor albidus, oſſa tremiſcunt
 Exanimes gelido diriguere metu:
Clamorem miſeri attollunt; te nomine, Virgo,
 Pollicitis adſis utque rogata vocant:
Horrida continuò poſuerunt murmura venti;
 Cetus & ima maris territus antra petit.
Solicitant Superi ſic ipſa pericula, Divæ
 Et cogunt firmam conciliare fidem.

S. CYRILLI Episcopi Hierosolimitani.

EPIGR. XXVI.

ISaciæ fautor gentis, Solymeja templa
Desertor Cæsar restituisse parat:
Obsistit Præsul sed ceptis; saxaque saxis
Tempore non longo dissocianda monet:
Vix jacta extulerunt sese fundamina, tellus
Cum tremit, & resono scissa fragore tonat:
Dissiliunt, raptimque volant dispersa, tenaci
Quæ nexa hærebant glutine saxa solo:
Arma etiam flammæ absumunt fabrilia, summo
Quæ densæ in morem grandinis axe ruunt.
Quid tibi cum templis? nova quid delubra requiris,
Impia si nec habes, plebs recutita, Deum?

xix. *Martii*.

S. JOANNIS SYRI Confessoris.

EPIGR. XXVII.

CŒnobii dum, Dive; novi fundamina prima
Ambigis incertus qua statione loces,
Aliger in gyrum fines describit, & aptum
Indicat, ætherea lapsus ab arce, locum.
Non sonipes, volucrum non obvia turba, repertus
Nec tibi bos certam signat arator humum:
Quæ Tyriis dederunt populis, quæ bruta Latinis,
Si relegis fastos, omina vana putes:
Auspicia haud fallent contra felicia, muros
Dum tibi metator missus ab axe notat.

S. LAN-

S. LANDOALDI Archipresbyteri, & Confessoris.

EPIGR. XXVIII.

ADvolat ad Divi volucris peregrina cadaver,
 Versicoloratis conspicienda notis:
Compositos artus bis terque micantibus alis
 Circuit, & lætos integrat ore sonos.
Parce, sacro cineri persolvis flebile carmen,
 Funereumque iteras quæ, pia turba, melos:
Non hæc atratam poscunt solemnia pompam;
 Non habet hic ullum nænia mœsta locum:
Reddere disce sonos, hilari quos extera cantu
 Felicis dictat conscia sortis avis.

xx. *Martii.*

S. VULFRANNI Archiepiscopi Senonensis.

EPIGR. XXIX.

FErcula puppe super dum tu cælestia libas,
 Anchora cum trifido sisteret ære ratem,
Porrigit incauti patinam quam dextra Ministri,
 Excussam rapidis sorbuit æquor aquis:
Instas dum precibus, fundo sublimis ab imo
 Tollitur; in sacras & redit illa manus.
Dextera quod nutans deliquit, corrigit unda;
 Et Mystæ famulans ipsa Ministra fuit.

S. CUTH-

S. CUTHBERTI Episcopi Lindisfarnensis.

Epigr. XXX.

PRæstantis squamæ volucris tibi regia piscem,
Dum te longa fames torquet, ab axe tulit:
Dum prædæ parcit, quam sustinet ungue; ministrat
Desiliens gratas dum tibi serva dapes,
Indole magnanima dignum Regina volucrum
(Ne jactet mendax fulmina) nomen habet.

ALIUD

Epigr. XXXI.

BEllatrix quæ tela jacit, nova munera captat,
Dum tibi, piscatrix, regia servit avis.

XXI. *Martii*.

S. LEÆ.

Epigr. XXXII.

DIvitiis fulgens, titulisque illustris avitis,
Limina convictu paupere sacra colis:
Ditior es, fluxi dum pondera deseris auri;
Pauperies veras nam tua cogit opes.

S. CA-

S. CATHARINÆ Suedæ Virginis, & Viduæ.

EPIGR. XXXIII.

TE ſtructis rapere inſidiis furioſus amator
Dum tendit, cœcus deſerit ille diem:
Lux oculis iterum ſed reddita fulſit, amaro
Dum fletu damnat crimina, ſtratus humi.
Ille mihi cœcus viſu ſplendeſcit acuto;
Dum furit in Divam, tunc mihi cœcus erat.

XXIV. *Martii*.

S. SIMONIS Martyris Tridentini.

EPIGR. XXXIV.

TE, ſcelus! abreptum furtiva fraude Puellum
Iſacidum ſoboles propudioſa necat:
Immites cultro jugulant, dum feſta recurrit,
Sanguine lactenti concelebranda, dies:
Mollia fruſtatim ſcindunt corpuſcula; punctim
Conciſoſque artus impia figit acus:
Excipiunt pateris fuſum de more cruorem;
Atque iterat lætos turba ſceleſta ſonos.
O Superi, ſatis eſt reliqui patrata nocentes
Crimina ſi letho, quo meruere, luant:
Ne pereat; vivat terris inviſa propago;
Sed, quos commeruit, tranſigat illa dies:
Sordida, vilis, inops erret per compita; pœnas,
Quas mors ipſa nequit ſumere, vita ferat.

xxv. *Martii*.

S. HERMELANDI Abbatis.

EPIGR. XXXV.

IN ſocios verbis, vultuque immitis acerbo,
Indolis auſteræ Cœnobiarcha furit:
Acre merum, Cereris corroſæ cruſta miniſtrat;
Nuda cruentato verbere terga ferit:
Nullus honos tunicæ; ſunt vilia ſcruta ſupellex;
Inferti paleis cura nec ulla thori eſt:
Ipſe tumet contra nitido diſtentus omaſo;
Et quatit undoſæ tegmina longa togæ:
Degenerem cultu rigido non parcis amicis,
Qua pius arte vales, Dive, monere modis:
Tartarei pœnas ignis, ſuprema minaris
Et fata; in paucos mox adeunda dies:
Proficiunt nil verba; tuis namque ille tumeſcit
Aſperior monitis; ipſa medela nocet:
Vix aurora diem vexit ſed tertia, morbi
Cum gravis aſſultu languida membra tremunt:
Dum ſolus cubat, ardentem te luce coruſca,
Torquentemque manu verbera dura videt:
Ille ſubit validos ictus; mox lumina clauſit
Æterna vere ferrea nocte quies.
Vana tulit moriens à Divo verbera; nigra
Sub Styge ſed veris vapulat ille flagris.

ALIUD

ALIUD

EPIGR. XXXVI.

PRima docere ſolet pueros elementa, Magiſtri
Quæ cædit teneras virga ſevera manus:
Ipſos clauſtrorum condiſcere, Dive, Magiſtros
Mitius ingenium ſed tua virga docet.

·XXVI. *Martii*.

S. LUDGERI Epiſcopi Monaſterienſis.

EPIGR. XXXVII.

MOliris ſacri ſtructuram, Dive, receſſus;
Ducat inoffenſos quo pia turba dies;
Arboribus circum ſed clauſa rigentibus obſtat,
Et denſis horrens hiſpida ſilva comis:
Annoſi non te ſaltus, non brachia terrent,
Quæ nectit cœca frondea nocte nemus:
Dum votis inſtas flagrantibus, aſpera ſurgit,
Cœcaque nimboſo turbine ſævit hyems:
Luctantes reſono confligunt æthere venti,
Exſtimulant rapidos Eurus, & Auſter equos:
Antiquæ valido procumbunt impete quercus;
Exciſa optatum ſilva deditque locum.
Omine ſurge domus fauſto; tibi militat æther;
Spirat & exorſis aura fecunda tuis.

ALIUD

ALIUD

Epigr. XXXVIII.

INtonſas Fabri parcant incidere quercus ;
Nec laſſet longus brachia dura labor :
Hos Boreas truncos flatu non amplius uno ,
Riphæo veniens ſector ab axe , metit .

ALIUD.

Epigr. XXXIX.

INceſti quæ prava thori connubia ſervat ,
Nomen ab illuſtri fœmina ſtirpe trahens ,
Teſtam melle gravem Divo munuſcula mittit ,
Dum monitus rigidi Præſulis illa timet :
Reſpuit oblatam Præſul : non decipit illum
Dira ſub infido melle cicuta latens .

XXVII. *Martii* .

S. ISACII Confeſſoris .

Epigr. XL.

OBſita dumetis quà terra rigentibus horret ,
Te jacit in medios Cæſaris ira rubos :
Innòcuos artus non audent tangere vepres ,
Cuſpide mordaci quos caruiſſe putes .
Ne fera veſani te læderet ira Tyranni ,
Spina vigil ſepes , non tibi pœna fuit .

ALIUD

ALIUD

EPIGR. XLI.

NOvit ubi rigidos Cæsar tibi parcere sentes,
 Saucia ceu jaculo torva leæna, furit.
Quæ custos tibi fida fuit, truculenta Tyranni
 Spina venenata cuspide corda ferit.

S. RUPERTI Vangionum, & Salisburgensis Episcopi.

EPIGR. XLII.

BOjarici lætis flaventes messibus agri,
 Et quæ Vindelicus rura colonus arat,
Te discunt ritus cultore abolere profanos,
 Collaque ad illatam flectere curva Crucem:
Nunc tua festivis extollunt nomina ripis,
 Et plaudunt resonis Ister, & Oenus aquis:
Tu genus egregium, claramque ab origine gentem,
 Nunc quoque sublimi cultor ab axe foves:
Nam licet ira fremat circum septemplicis Hydræ;
 Errorumque furens atra venena vomat,
Illibata manet; late quæ proxima gliscit,
 Ipsaque commendat robora firma lues:
Quæ regnat nunc alma fides, primordia monstrat
 Culturæ fuerint quam generosæ tuæ.

XXIX. *Martii*.

S. MARCI Episcopi Arethusii, & Martyris.

EPIGR. XLIII.

SOlis ad æstivi radios te pectore nudo
  Irata imbutum melle caterva locat:
Ardentes artus infesta cuspide mordent
  Crabrones, sapidi quos vocat esca favi.
Commemorem frustra tua robora; dulcior ipso
  Pœna rigens, Præsul, dum tibi melle fuit.

SS. JONÆ, & BARACHISII Martyrum.

DE S. JONA.

EPIGR. XLIV.

REgis Achæmenii jussu ferventis aheni
  Merguntur fluida corpora nuda pice:
Non lædit, lambit sacros liquor igneus artus;
  Nec promit vires concita flamma suas.
Quæ fatuis ignem votis, ceu Numen, adoras,
  Pronaque dispersum sterneris ante jubar,
Jam poteris, faciles cessat dum segnis in usus,
  Ejurare tuum, credula turba, Deum.

DE

DE S. BARACHISIO.

EPIGR. XLV.

CUspide quæ laceros artus configit acuta,
Nequidquam vires frangit arundo tuas.
Ipsa poteſt, calamo, tortor, quam ſumis inani,
Nil profecturas pœna docere manus.

ALIUD

EPIGR. XLVI.

QUid tibi præſtanti cum funere vilis arundo?
Quò tumida demens ambitione ruis?
Quem non flamma vorax, non vis valet aſpera ferri
Sternere, tune, levis quam domat aura, petis?

S. EUSTACHII Abbatis Luxovienſis.

EPIGR. XLVII.


COnturbat ſacras deſertor Agreſtius ædes,
Diſcordiſque animi ſemina dira jacit:
Illum ſupremi tu Judicis ante tribunal,
Diluat ut clauſtri jura revulſa, vocas:
Præteriit nec longa dies, impacta ſecuris
Amputat indignum cum generoſa caput.
Juratas auſus leges qui ſcindere, pœnas
Diſſecti meritò verticis ipſe tulit.

XXX. *Martii.*

S. JOANNIS Climaci.

EPIGR. XLVIII.

INcolis agresti congestum cespite tectum,
  Qua celso nubes vertice Sina petit:
Rupe super rigida jucundum protrahis ævum;
  Horrida sola comes, sed tibi grata, quies;
Exigis hic calamo, longos vigilata per annos,
  Tradita quæ chartis sunt monumenta tuis.
Legiferas olim tabulas qui rupibus istis
  Excelso Superûm Rector ab axe tulit,
Ipse salutares sacri de vertice montis
  Dictavit monitus nunc quoque, Dive, tibi.



ELO-

ELOGIA SANCTORUM
MENSIS APRILIS

1. *Aprilis*.

SS. AGAPES, CHIONIÆ, & IRENES Martyrum.

Epigr. I.

IMpia tergeminæ ſpernunt dum juſſa Sorores,
Ignibus in mediis carmina læta canunt:
Irene in fœdum primum ſed rapta lupanar,
Damna ſub immunda non tulit ulla domo.
Horrida non timuit flammarum incendia, poſtquam
Vitavit Cyprias intemerata faces.

S.HUGONIS Epiſc. Gratianopolitani.

Epigr. II.

LEthali ſternis morbo dum languidus artus,
Deficit ægroto mens tibi, Dive, memor:
Quæ narrant alii, ceu mutus, deſpicis; hæret
Corde ſub immemori lingua retenta tibi:
Alloquia at memorem reddunt cæleſtia mentem;
Alternoſque refers ad pia verba ſonos.
Quas pariet Divo laudes mens ſana, favere
Olli ſi tantum vel vitioſa poteſt!

S. VALERICI Abbatis.

EPIGR. III.

LAnificas pecoris custos dumosa capellas
Dum, baculo nitens, ad juga montis agit,
Ediscit, nulloque notas monstrante Magistro,
Aggreditur Latios edere voce sonos:
Reddit arundineo Divina Volumina cantu,
Jessæoque vagas carmine mulcet oves.
Qui modo pelliceo Pastor velamine tectus,
Montivago quærit pabula grata gregi,
Ut claustri socios posset mox pascere, sacræ
Pabula doctrinæ comparat ipse sibi:

SS. AMPHIANI, & ÆDESII Martyrum.

EPIGR. IV.

SUplicio parili, cursu sed disparis ævi,
Vos tumidis mersos sustulit æquor aquis:
Amphiani fluitans pelago spumante cadaver
Ante ipsas urbis detulit unda fores.
Quæ tantas festinat opes deponere, non est,
Mentiris famæ rumor, avara Thetis.

ALIUD

ALIUD

DE S. AMPHIANO

EPIGR. V.

IMpius aurata fulgens dum veste Tyrannus
Sacrilegis adolet thura nefanda focis,
Irruis; apprensumque manu divellis ab ara;
Attonitum validis increpitasque minis.
Non satis est Divo pœnas tolerare, lacessit;
Irritatque feram, qua cadat ipse, necem.

ALIUD

EPIGR. VI.

VIndice quem dextra fœdis altaribus arces,
Saucius ut jaculi cuspide sævit aper.
Infremit; & cœci abstrudit te carceris umbris;
Æratis plantas compedibusque gravat.
Planta ferat laqueos; nam, quæ conamine tanto
Claruit, haud meruit vincula ferre manus.

11. *Aprilis*,

S. NICETII Episcopi Lugdunensis.

EPIGR. VII.

E Divi tumulo pulvis qui carpitur, haustus
Agmina morborum perniciosa fugat.

Arida, Dive, tui non est mihi gleba sepulcri,
Germina si certæ tanta salutis habet.

S. THEODORÆ Virginis, & Martyris.

EPIGR. VIII.

CUspidibus ferri immitis lacerata, profundo,
Ardua transcendis sidera, mersa mari.
Ditior inspersis diffuso à sanguine guttis,
Despice gemmantes, æquoris unda, sinus.

III. *Aprilis*.

S. NICETÆ Confessoris.

EPIGR. IX.

QUi frustra jactas, Cæsar, generosa Leonis
Nomina, sed factis effera tigris eras,
Quò furis, Armeniæ monstrum intestabile? sævi
Quò te præcipitem flamma furoris agit?
Extorris loca sola petet; crudelia Divus,
Detentus rigido carcere, vincla geret:
Vita superstes erit: quos illa paretur in usus
Si quæris; cladem spectet ut ille tuam.

S. RI-

S. RICARDI Episcopi Cicestrensis.

EPIGR. X.

QUadrupedem instratum phaleris post omnia vendis,
Dum turba illacrimans indiga poscit opem.
Damna pedes lucrosa subis: iter astra petenti
Venditus accelerat, non remoratur, equus.

IV. *Aprilis*.

SS. THEODULI, & AGATHOPODIS Martyrum.

EPIGR. XI.

MAgnanimos Pugiles discrimina disparis ævi
Dissociant; jungit forma nec una duos:
Namque alter primas vestit lanugine malas;
Candida purpureus pingit & ora color;
Alterius frontem curvat longæva senectus;
Contractasque genas ruga senilis arat:
Discordes annis amor unus, & ardor honesti
Alligat; una duos conciliatque fides:
Affatur blanda Puerum cum voce Tyrannus,
Et spondet largas insidiator opes,
Flore virens primo reddit responsa, reponant
Tempore non modico quæ meditata senes:
Confectum senio si terret fronte superba,
Irato rabidas addit & ore minas,

Exerit ille tremens curvo de pectore vires,
Promere quas posset nulla juventa pares:
Viribus hinc Senis effœti, solertibus ille,
Vocibus hinc Pueri victus, acerbâ fremit:
Imperat adstringi laqueis plantasque manusque;
Et mergi horrisono corpora viva salo:
Appendunt collo religati pondera saxi,
Lintre levi & clausos ad freta salsa trahunt:
Sorte sua demum lætos, & dulce canentes,
Spumoso exsiliens accipit unda sinu:
Mane novo, niveo vestis radiantis amictu,
Surgere ab æquoreis visus uterque vadis.
Fortunata nimis, pacato ex æquore Solis
Quæ gemini radiis fulgurat, aucta dies!

v. *Aprilis*.

SS. THEODORÆ Virginis, & DIDYMI Martyris.

EPIGR. XII.

EXosam thalamos, & tædæ vincla jugalis
(Pectora nam solus Numinis urit amor)
Conjicit indignans obscœna in lustra Tyrannus;
Cogere si posset turpia probra pati:
Pectore dum trepido Cyprias circumspicit ædes,
Accipitrumque pavet casta Columba manus,
Ære nitens, galeaque caput munitus ahena,
Cum fremitu miles sordida tecta petit:
Expavit visu subito conterrita Virgo,
Ne subeat læsus noxia damna pudor:

De-

Detegit ille dolos; quique, armis horridus, hoſtis
Creditur; elata caſſide, frater erat:
Pone metus, dixit: non me tua forma, pudoris
Huc agit ignotum, ſed pia cura tui:
Rumpe moras, veſteſque ſimul mutemus; abibis
Tu miles, cultum Virginis ipſe feram:
Ne pigeat tenerum lorica obducere pectus;
Ne galea flavas implicuiſſe comas:
Nec mora longa fuit, fraterni pignus amoris,
Cum dura exſiliens induit arma Soror:
Attollens mox ære graves clypeata lacertos,
Deſerit immundos intemerata lares:
Præteriit nec longa dies, tua, Didyme, certis
Splendida cum patuit fraus adaperta notis;
Principis illuſi rabioſaque pectora placas,
Dum gladio cæſus ſanguine tingis humum.
Ganea quis credat caſtas ſervare puellas?
Surgere quis palmas credat & inde novas?
Qua non Relligio ſperet ſtatione triumphos,
Si decora obſcurum tanta Lupanar habet!

SS. THERMES, & PHERBUTÆ Martyrum.

EPIGR. XIII.

Diffindit medias fabrilis ſerra Sorores,
Impia dum ſoli thura adolere negant.
Credibile eſt ipſum tetra ad ſpectacula ſolem,
Velatum tenebris occuluiſſe caput.

VI. *Aprilis.*

S. EUTICHII Patriarchæ Conſtantinopolitani.

EPIGR. XIV.

JActatus vario vitæ diſcrimine, juſſus
Exilio ſolas & peragrare plagas,
Mœnia mox victor repetit, quæ regia ſpectat,
Thracius & famulis Boſphorus ambit aquis:
Paſtori occurrunt ſacri longo ordine cœtus;
Percita feſtivo murmure turba fremit:
Flore vias ſternunt; collucent compita flammis;
Cymbala dant lætos pulſa, tubæque, ſonos:
Commerito reſonant plauſu dum littora, & ipſa
Celſior in nubes tollitur unda maris,
Emicat ipſe procul Præſul: non ille receptus
Sed curru niveos divite flectit equos:
Tardigradi coſtas agitat male comptus aſelli,
Dejecta in nudam fronte volutus humum.
Pompa magis demiſſa nitet: de Rege ſuperbo
Namque Erebi præſtans ille triumphus erat.

S. VILLELMI Abbatis Roſchildenſis.

EPIGR. XV.

LIctorem Stygium, Cyprios dum ſuadet amores,
Impulſu validi cogis abire pedis;
Clara magis ſurgitque tibi victoria, in hoſtem
Vilia Tartareum quo magis arma moves.

VII.

VII. *Aprilis*.

S. CALICOPII Martyris.

EPIGR. XVI.

QUadrifida pendes ex arbore; vertice ſummo
Sed nudam obverſo corpore tangis humum.
Num tibi quæ ſummo contingunt æmula Regi,
Funera ne ſubeas ambitioſa, times?
Commerita an potius ſpectes ut ſidera, terræ
Sublato pronum figitnr ore caput?

S. AIBERTI Presbyteri Criſpinienſis.

EPIGR. XVII.

DUm vendit circumfuſo maleculta popello
Stridenti cythara Cantica ſcurra vagus,
Tu Puer acceleras grata ad modulamina greſſus;
Intentaque rudes accipis aure ſonos:
Cultorem nemorum Theobaldum forte canebat,
Dum pulſat raucum pollice mimus ebur:
Otia damnoſæ pertæſus ut ille juventæ
Verterit incautos ad pia clauſtra pedes;
Exacta ut longo delerit crimina fletu,
Ducta per obliquas luſtraquc multa vias:
Hæc ſenſim buxi reſonantis reddita cantu,
Subrepunt animo dum documenta tuo,
Ad juga virtutis feſtinas aſpera, tantis
Exemplis doctus, tu quoque ferre gradus.
Seria quo rigidæ duxiſti ſemina vitæ,
Non tibi nugator ludius ille fuit.

ALIUD

ALIUD

EPIGR. XVIII.

STramineo angusti conclusus fornice tecti,
  Arida pallenti dum geris ora fame,
Triticei grato reficit te munere crusti
  Nazaris è Cæli culmine lapsa Parens:
Tu, dape siderea pastus, vix vesceris ullis,
  Dum vitæ superant lustra quaterna, cibis.
Thesbitæ magni superas jejunia, fertur
  Ille quaterdenos quæ tolerasse dies:
Ut præstat superis Superûm Regina Ministris,
  Sic majora tui robora panis erant.

VIII. *Aprilis*.

S. BADEMI Archimandritæ Martyris.

EPIGR. XIX.

TE perimit gladii scelerata cuspide, primùm
  Qui veræ socius Relligionis erat:
Ipse sed ereptus fato desertor acerbo,
  Tempore non longo saucius ense perit.
Proh quanta immensi series vos distrahet ævi,
  Suplicio si mors abstulit una pari!

S. MARIÆ Ægyptiacæ.

EPIGR. XX.

PRimævos vitæ forma spectabilis annos,
  Idalio flagrans igne Puella terit:

Effre-

Effrenis vitæ quocumque licentia fœdas
  Allicit in ſordes, immoderata ruit:
Sola rapit rabidam Veneris maleſana cupido;
  Excuſſus metuit frena nec ulla pudor.
Obliquo errantem ſed tramite Sponſa Tonantis
  Ad rectum revocat Virgo ſalutis iter.
Qua vitreus tacitis Jordanes labitur undis.
  Vel metuenda feris horrida teſqua petit:
Littore deſerto non ulli cognita degit;
  Errat arenoſis ſola relicta plagis:
Herboſo, ceu vile pecus, ſe gramine paſcit;
  Herba pruinoſum ſufficit ipſa thorum:
Tegmine non ullo tectam bruma aſpera torquet;
  Vexat & Icarii quæ furit ira canis:
Dena fluant quamvis auſteri luſtra receſſus,
  Non adhibet pœnis ipſa ſenecta modum:
Nuda nigros artus, & ſole peruſta, ferino
  Te cultu terret, Zoſime, viſa procul:
Cernere monſtra putas trepidans; nec falleris: illa
  Extremi monſtrum namque rigoris erat.

x. *Aprilis*.

SS. TERENTII, AFRICANI, & Sociorum Martyrum.

EPIGR. XXI.

CArcere quo Divi clauduntur, ſibila tollunt;
  Pectora ſerpentes & maculoſa rotant:
Feſtivis blandæ ludunt ſed nexibus; artus
  Non ceſſant ſacros lambere, nulla nocet.

Nec

Nec mirum: colubrûm fuerant quæ dira venena,
Si sæva exploras corda, Tyrannus habet.

S. MACARII Patriarchæ Antiocheni.

EPIGR. XXII.

TUrba frequens inopum, Præsul, tua tecta frequentat;
Morborumque gravat quos numerosa lues:
Ante fores adstant; spatiosa per atria ludunt;
Occupat acclives densa caterva gradus;
Conclave, archivum, andronem, triclinia complent;
Discurrunt celsæ per latus omne domus:
Attalica intextis cedant aulæa figuris;
Belligeros cedant marmora sculpta Duces:
Non muti vultus Heroum; viva Tonantis
Condecorant ædes sed simulacra tuas.

XI. *Aprilis*.

S. ANTIPÆ Episcopi Bergamensis, & Martyris.

EPIGR. XXIII.

IMpete succensus rapidi bos æneus ignis
Candescit, Præsul, pœna parata tibi:
I celer, ærati subeas penetralia tauri;
Fervet ab ignita jam latus omne face.
Tardior ingenio, & duro gravis ære juvencus,
Non tibi scandenti sidera lentus erit.

S. ISAAC

S. ISAAC SYRI Peregrini, cognomento, SERVI DEI.

EPIGR. XXIV.

TErgeminas fuplex noctes dum tranfigis, addis
Et totidem facra pervigil æde dies,
Excuffæ nebulo cædit te verbere palmæ,
Nempe ratus vultus te fimulare pios:
Obfidet audacem Stygii fed carceris hofpes;
Et prono pavidum corpore figit humi.
Surge, age: non fictas demens fateare, vel Orcus
Quas mendax veras comprobat effe, preces,

ALIUD

EPIGR. XXV.

DUm facrum Præfes cœtum moderaris, in hor-
Deferri clauftri farcula cuncta jubes: (tum
Commoda mox etiam mandas pulmenta parari;
Quafque parata ufus fint habitura, taces.
Cum fociis hortum fubluftri mane revifis,
Mirificis fubeunt cum nova monftra modis:
Sarcula dura manu tractant, herbafque virentes
Fofforum, nulli cognita, turba colunt:
Prædonum confueta cohors nam vivere rapto
Perrupit fractis herbida fepta feris:
Mox fœda exofi concordes crimina, pœnas
Arrepto meritas fponte ligone luunt:
Præfcius hæc Præfes noras; pultifque paratæ
Raptorum reficis brachia feffa dape;

Et

Et merito; nam turba rapax confecerat una
Nocte, quod immensi cura laboris erat.
Contingat, precor astra, tibi par copia furum,
Hortulus est, Lector, si tibi forte domi.

ALIUD

EPIGR. XXVI.

QUæ Divo parcam prandenti præbeat escam,
Impubi est puero tradita sporta duplex;
Parvulus ast illi deceptor porrigit unam
E geminis; aliam servat at ipse sibi:
Excipit oblatam Divus, simul ore puellum,
Qui celat fallax improba furta, monet;
Viminea & caveas, dixit, tibi, pupule, cista;
Lethiferum colubrum namque relicta tegit:
Accurrit pavidus: cistellæ è culmine summo
Vipera cum dirum tollere visa caput:
Horruit aspectu tetro, pudibunda sed horror
Criminis admissi terruit ora magis.
Profecisse puer potuit serpente magistro;
Dum vitare dolos, quos amat ipse, docet.

ALIUD

EPIGR. XXVII.

CEntone impostor lacero maletectus amictum
Te, nudata tegat quo prope membra, rogat:
Tu socium deferre cavi sub robore trunci
Celatæ tunicæ tegmina crassa jubes:

Al-

Allatam reddis nebuloni ; utque induat artus
Veste renidentes nobiliore, mones :
Submisit frontem detecta fraude ; lacernam
Et, fibras rodens, accipit ille suam :
Discessit ; Divique oculos miratur acutos,
Lumine qui supero præditus, Argus erat.

S. GUTHLACI Anachoretæ.

EPIGR. XXVIII.

Corniger ad fauces Orci te, Dive, Satelles
Pertrahit ; infernas sistit & ante fores.
Fata nimis distant sed vestra : ejectus ab astris
Ille olim, Ditis nunc nigra regna colit :
Postibus ex Erebi stellantis ad ostia Regni
Te probitas firmo pectore culta feret.

ALIUD

EPIGR. XXIX.

Silvicolæ exemplo pete sæpius ostia Ditis ;
Sed caveas tristes ingrediare fores.

XII. *Aprilis*.

S. SABÆ Martyris Gotthi.

EPIGR. XXX.

Te rigidis cæsum nudato corpore flagris,
Compita per dumis aspera, turba rapit ;

Vulnere quæ nullo dum trajicis, infremit amens,
Cuſpidibuſque vepres forte carere putat:
O demens! rabie quæ te transfigit acuta,
Illane mordaci cuſpide ſpina caret?

XIII. *Aprilis*.

S. JUSTINI Philoſophi, & Martyris.

EPIGR. XXXI.

INgenio clarum dum te præſtante, parandæ
Doctrinæ cupidum detinet una ſitis,
Socraticis vigiles noctes impendere chartis
Non parcis, Samii ſcita coliſque Senis:
Quæ docto quæris vigilata inventa Platoni,
Quæque Stagyræus ſcripta Magiſter habet:
Palladias niſu ſed poſtquam noſcis inani
Te ſemel atque iterum ſolicitaſſe fores,
Sacrorum mutatus adis præſagia Vatum,
Iſacii cantus quoſque dedere Patres:
Ingenuo tunc vera tibi Sapientia vultu
Emicat; & totos pandit amica ſinus:
Non ea venalis rauco ſe murmure jactat,
Turgida nec longo ſyrmate verrit humum;
Luce ſua dives nitet infucata; paratque,
Quas nullus novit foſſor avarus, opes:
Olli tu debes, longum victura per ævum,
Ingenii fulgent quæ monumenta tui:
Sanguine te fuſo mercari ſidera demum
Quæ dedit, haud fallax, parca nec illa fuit.

SS.CAR-

SS. CARPI, PAPYLI, & Sociorum Martyrum.

EPIGR. XXXII.

INduit æratis crepidis vos tortor; anhelo
Et cursu celeres mox properare jubet:
Incessu rapido latos percurritis agros;
Æra gravant alacres non onerosa pedes.
In cursum Divis quæ robora tanta ministrat,
Non caligæ immani pondere, calcar erat.

S. MARTII Abbatis.

EPIGR. XXXIII.

CŒnobii irriguum tacitus fur tendit in hortum,
Dum spondet tutas nox tenebrosa manus:
Excultum corradit olus, mellitaque poma;
Ostia mox præda dives aperta petit:
Ostia nulla patent; quærit bis terque reclusas,
Frustratus reperit nec tamen ille, fores:
Diversos aditus præsepto expertus agello
Quæritat; effugio sed via nulla patet:
Membra fatigatus glebis commendat aquosis;
Algenti &, rigido sub Jove, nocte cubat:
Imperio socius præsagi Præsulis illum,
Albescit primi cum rota Solis, adit:
Deprensus pallet: subreptas deserit herbas;
Dejecto veniam stratus & ore rogat:
Dimissus monitus, non pœnas, ille reportat:
Nox furem gelido puniit axe satis.

XVI. *Aprilis.*

SS. Decem & octo Martyrum Cæsaraugustanorum.

EPIGR. XXXIV.

VOs tulit Augusto quæ clarum à Cæsare nomen
  Terra, sinu felix ubere, dives habet;
Mœnia sed tantis quæ fulgent inclyta palmis,
  Augustum vere nunc mihi nomen habent.

S. PATERNI Episcopi Abrincensis, & Monaci.

EPIGR. XXXV.

DUm nimiam pœnis torques te, Dive, severis,
  Asperitas servat nec violenta modum,
Admonet austerum Præsul lenire rigorem,
  Suplicia & posthac te moderata sequi;
Admonitis adhibes dociles tu mitibus aures;
  Nec transit fines pœna remissa suos:
Quin virtutis iter cursu leviore resumis,
  Dum discis, mirum! tradita frena pati.

SS. ELEU-

SS. ELEUTHERII Episcopi, & EVANTHIÆ Matris Martyrum.

DE S. ELEUTHERIO.

EPIGR. XXXVI.

CArmina sacra canis, septis inclusæ ferarum,
 Cum tauris, tigris quæ colit, ursa, leo:
Associant choreis cantus; blandoque recurrunt
 In gyros saltu, subsiliuntque feræ:
Quin etiam, variant dum motus, ora canoros,
 Si credas oculis, dant adaperta sonos.

ALIUD

EPIGR. XXXVII.

IN tua fata leo caveis immissus, amico
 Labitur ante sacros ludit & ore pedes:
Mox torva aggreditur tortores fervidus ira;
 Excutit & flavas ungue micante jubas.
Parcere si stratis discit, terrere superbos,
 Regia sortitur nomina jure leo.

ALIUD
DE S. EVANTHIA.

EPIGR. XXXVIII.

DUm Prolem cruciant fata aspera, Mater adhæ-
 Ad Nati, numquam dissociata, latus: (ret

Verberibus soboles, ferro, flammisque, ferisque
Torquetur: læto pectore Mater adest:
Quo graviora premunt illam tormenta, serenos
Exsiliens vultus explicat illa magis:
Dum Nati pœnis, dum funere gaudet acerbo,
Si, quid agit, quæris, sedula Mater? amat.

S. APOLLONII Senatoris Martyris.

EPIGR. XXXIX.

AUgusto sacros ritus spectante Senatu
Asseris, eloquii nobilis arte potens:
Quos doctæ valido propugnas robore linguæ,
Sanguine defendis fortius ipse tuo.
Romulea oranti plausit tibi Curia; cæli
Cæde peroranti plausit at aula magis.

S. URSMARI Episcopi.

EPIGR. XL.

QUamvis longa trahat Divus jejunia, vitam
Divina solum ducere visus ope,
Cocyti duro pulsatus verbere Lictor
Persensit validæ robora firma manus.

XIX. *Aprilis*.

S. ELPHEGI Archiepiscopi Cantuariensis, & Martyris.

EPIGR. XLI.

ARidus in flores se cæsus ab arbore ramus
Induit, imbutus sanguine, Dive, tuo.

Qui

Qui dedit æthereos fœtu cruor ubere fructus,
Gignere quin florum germina picta queat?

xxi. *Aprilis.*

SS. SIMEONIS Episcopi, USTHAZANIS Eunuchi, & aliorum MM.

EPIGR. XLII.

FOrtunata phalanx Heroum, sanguine vestro
Euphrates nitidas sanguine tingit aquas:
Stellato nunc axe super, cui thura negasti,
Despicis excelso è vertice Solis iter:
Caligat sed Sole suo malecredula Persis,
Cœcaque perpetuæ tempora noctis habet.

S. EPIPODII Martyris Lugdunensis.

EPIGR. XLIII.

TE, Puer, objurgas torvum dum voce Tyrannum,
Contracta in digitos palma proterva ferit:
Excussi recidunt crudeli verbere dentes;
Purpureus cæso gurges ab ore fluit:
Sanguinolenta novas addunt tibi vulnera vires;
Verbaque dant validos liberiora sonos.
Quæ duro dentes divellere credidit ictu,
Dissolvit linguæ vincula, sæva manus.

XXII. *Aprilis*.

SS. ACEPSIMÆ, JOSEPH, & AEITHALÆ Martyrum.

DE S. ACEPSIMA.

EPIGR. XLIV.

INceſſu tardum, extrema curvumque ſenectà,
Vulnere crudeli flagra cruenta necant.
Tergemino nexis in nodum ſtamine flagris,
Ille ſibi ad cælum ſcanſile fecit iter.

DE SS. JOSEPH, & AEITHALA.

EPIGR. XLV.

INcluſos foveæ vos caligantis hiatu
Effera ſaxorum turbine turba tegit.
Contumulare prius, quam tradere corpora morti,
Pœna eſt, quam Libycæ nec didicere feræ.

S. THEODORI Archimandritæ.

EPIGR. XLVI.

PRimœvi ſimulans Erebi Dux ora ſodalis
Culmina te celſi montis ad alta trahit;
Deſilias ſaltu velox utque inde, laceſſit;
Exemplo & pernix provocat ille ſuo:

Tu

Tu ſupero ſiſtis ſervatus Numine greſſus ;
Incolumem ſocium deſiliiſſe ſtupes.
Num paveat collis dorſum declive, ſupernis
Deſiliit poſtquam Tartara ad ima plagis ?

ALIUD

EPIGR. XLVII.

JEſſæus claris Vates quæ carmina chordis
Concinuit, menti tradere, Dive, flagras ;
Labilis obſiſtit ſed quæ ſecreta recondit,
Tradita vis animi dicta memorque tenet :
Effigiem ſuplex transfixi Numinis oras,
Ut ſacros valeas edidiciſſe modos :
Protinus ambroſia prægnans dulcedine ſuccus
Hyblæis pluſquam diluit ora favis :
Integra mox retines Regis modulamina, funda
Gethæus cecidit quo reſonante Gigas.
Nectare cæleſti manant quæ cantica Vatis,
Quam bene nectareo Præſulis ore ſonant !

ALIUD

EPIGR. XLVIII.

TE mandante, perit rabidis quæ fœta locuſtis
Frugiferos nubes depopulatur agros.
Fertilis eſt, prope qui periit, labor irritus anni ;
Alatæ ſterilis peſtis at ira fuit.

ALIUD

ALIUD

EPIGR. XLIX.

ANgusta inclusus cella, commercia vitas;
Asperitas vitæ sola tibique comes:
Approperat pecoris Lupus expugnator opimi;
Stramineas ululans clamat & ante fores:
Excipis hospitio; jejuno & porrigis escam;
Tergaque ter blanda plaudis amica manu:
Longas ille moras custos ante ostia servat;
Pervigil excubias præstat & ille tibi.
Longævis ferri res digna annalibus! agno
Parcit; edaxque ipsum servat ovile Lupus.

ALIUD

EPIGR. L.

IRruit in Divi numerosus membra satelles;
Elata sicas expedit atque manu;
Præsulis occursu primo sed victa recedit;
Aspectumque ipsum territa turba pavet:
Flamma propinquantes urit, fornacis ad instar,
Quæ validas sacro jactat ab ore faces.
Robora quanta viri! dum, qui sese exerit ore,
Armatos hostes halitus ipse fugat.

S. OP-

S. OPPORTUNÆ Virginis, & Abbatissæ.

EPIGR. LI.

ÆGra thoro languet; relevat formosa jacentem
Visa coruscanti lumine Virgo Parens:
Illa ultra quamvis possit producere vitam,
Virginis amplexu fata suprema subit.
Mors merito celerata venit: nil, Virgine visa,
Namque illi in terris, quo frueretur, erat.

S. VOLPHELMI Abbatis.

EPIGR. LII.

IN loca deducit superæ te Nuncius aulæ,
Quæ solis radiis splendidiora micant.
Purpurei quid veris opes, quid olentia prata,
Quid memorem ætherea culta vireta manu?
Aurea Phæacum pomaria, Thessala Tempe,
Hesperidum jactat germina quæque nemus,
Incultos saltus, illis collata; ferisque
Indomitis solum tesqua colenda putes.
Cernere erat vario partitas ordine sedes;
Gratia nam nitidos non habet una lares:
Luce nitens mira radiat prior omnibus una,
Surgit & aurato vertice celsa domus:
Aliger, hic, dixit, supremi munere Regis,
Sæcula non unquam præteritura trahes;
Abscessit simul his dictis: tu mente volutas
Proxima Rex Superûm quæ tibi dona parat;
Pro-

Proxima; namque tibi, longi non temporis usu,
Attulit extremum mors properata diem:
Et merito: tanto nam quæ fulgore coruscant,
Non fuerant lento tecta adeunda pede.

XXIII. *Aprilis*.

S. GEORGII Martyris.

EPIGR. LIII.

QUi coluit Marsis quæsitas montibus herbas;
Et cœcos Magica nexuit arte dolos,
Sternere se spondet mendacia Numina, Divus
Siluci extinctum restituisse queat:
Infertur pallens, turba spectante, cadaver,
Tabidus afflatam quam prope pellit odor:
Procumbit Divus terræ; occludique Tonantem
Prodigio supplex ora proterva rogat:
Exilit e loculis, roseo spectabilis ore,
Qui pridem solis lumine cassus erat:
Obstupuit Magicus lusor; veramque jocosis
Pollicitam verbis præstitit ille fidem:
Ejurat ritus fatuos; & membra furentum
Tortorum gladiis dilaceranda dedit:
Accedit mox turba frequens, mutataque damnat,
Tristatur lacrimans quos coluisse, Deos.
Squalenti e feretro saliens vix ille, supernam
Ad vitam extinctos jam revocare potest.

ALIUD

ALIUD

EPIGR. LIV.

CUſpidibus ferri nudus laceratur acutis,
Membra mucronatæ nexus adacta rotæ:
Continuò renovat ſed robora firma; cicatrix
Corpore prævalido non habet ulla locum.
Pectora miratur membratim ſciſſa Tyrannus
Vivere, & arcano flore nitere genas:
Ignorat, Divo veniant quæ pharmaca; quantus,
Plurima quæque tulit vulnera, curet onyx:
Nempè illi æthereæ ſudant opobalſama ſilvæ,
Quæ nullus novit cultor odoris Arabs.

ALIUD

EPIGR. LV.

LEthiferi ſuccos juſſus ſorbere veneni,
Nulla propinato damna liquore ſubit:
Sed contra, ſacros ultra dum pectore ritus
Aſſerit invicto, ſaucius enſe perit.
Innumeros gladio Ductor qui ſtraverat hoſtes;
Extulit & forti clara trophæa manu,
Debuit haud vilis cyatho ſua fata cicutæ;
Bellator præſtans enſe petendus erat,

SS. FELICIS, FORTUNATI, & ACHILLEI Martyrum.

EPIGR. LVI.

Sidereus quæ vincla gerunt diſſolvit Alumnus;
  Carceris & reſerat lapſus ab axe fores:
Impia tecta petunt Divi; ſternuntque minaces
  Quæ vultus referunt marmora ſculpta Jovis.
I, Lictor; laqueis Divos adſtringe: ſacrorum
  Sic diſcunt Pugilum vincula ferre manus.

S. ADALBERTI Monachi, Epiſcopi, & Martyris.

EPIGR. LVII.

Vaſa ferens puræ juſſus teſtacea lymphæ,
  Procumbit ſtrato corpore lapſus humi:
Hydria rimarum nullos contraxit hiatus,
  Non modico quamvis pulſa fragore ſonet:
Quæque ſinus urnæ complebat, ſubſtitit unda;
  Defluit arenti gutta nec una ſolo.
Quid decora inquiram Divi ſublimia? lapſu
  Laudari meruit non ſatis ille ſuo.

XXIV. *Aprilis*.

S. ALEXANDRI Martyris Lugdunenſis.

EPIGR. LVIII.

SEmianimem Divum tortorum turba relinquit,
Diſcerpſit duris quem rabioſa flagris;
Quadrifido demum ſuſpendit robore; poſtquam,
Quem feriat, vecors non habet ira locum.
Dextera ſi ceſſat virgis laſſata; tueri,
Qui furor eſt reliquus, vulnera facta juvat.

S. MELLITI Epiſcopi Londonienſis.

EPIGR. LIX.

SOl novus extremis affulgens, Dive, Britannis,
Non parcis ſuperæ ſpargere lucis opes:
Ad nutum reprimis vaſtantes mœnia flammas,
Quæ Tameſis tumidis regia findit aquis.
Ordine procedis ſervato: extinguis Averni
Nam prius, urbanas poſteriuſque faces.

S. ROBERTI Eremitæ, & Abbatis Caſæ Dei.

EPIGR. LX.

DEvia per nemorum ſaltus dum fertur opacos,
Te Mater ſubito preſſa dolore parit.

An-

Antra petunt alii longo poſt tempore ; prima
Sed te ſilvicolam procreat orta dies.

ALIUD

EPIGR. LXI.

Contigit indecoris vulgato corpore nutrix,
Venali quæſtu ſordida, Dive, tibi:
Dona miniſtrantem tu lactea fronte repellis
Averſa ; refugo triſtis & ore fremis.
Quam valide Stygios olim conſurget in hoſtes,
Robora quæ præſtat tanta, tenella manus!

ALIUD

EPIGR. LXII.

Sugere lac refugis malefidum, Dive ; manuque
Immundæ pulſas ubera fœda lupæ.
Dic ubi non mortem metuas, Infante magiſtro,
Noxia ſi puro lacte venena latent?

XXVI. *Aprilis*.

S. BASILEI Epiſcopi Amaſeni, & Martyris.

EPIGR. LXIII.

Avulſum ferro Divi caput abſtulit æquor ;
Mox hauſit vaſto corpora trunca ſinu:

Quos

Quos rabido tortor gladio divisit, arenæ
Conjunctos artus reddidit unda maris.
Commeritas Divo grates, sua regna colenti,
Ut solvat, nectit membra recisa salum.

ALIUD

EPIGR. LXIV.

PIscator Divi conclusum rete cadaver
Littoris ad noti spumea saxa trahit.
Involuit Pugilem jacto qui rete, dolosus
Non mihi piscator, sed Gladiator erat.

S. RICHERII Presbyteri.

EPIGR. LXV.

ASpera continues quamvis jejunia; vilis
Et vix austeram leniat herba famem,
Non tamen augustæ fastidis fercula mensæ,
Rex tibi Sequanicus quæ pretiosa parat:
Admisces monitus sed tu non parcus amicos;
Verbaque curandis moribus apta moves.
Rex tibi, quas dives progignit terra, ministras
Tu Regi æthereas sed, pia dicta, dapes.

XXVII. *Aprilis*.

S. ANTHIMI Episcopi Nicomediensis, & Martyris.

EPIGR. LXVI.

OStendit Divo necis instrumenta Tyrannus,
Plurima quæ medio cogit acerba foro:

Adſunt dentatæ bifida cum forcipe ſerræ ;
  Exertant patulis faucibus ora feræ ;
Torva luce micant gladii, duræque ſecures ;
  Horrificat rapidas cuſpis ahena rotas :
Quid flammas memorem, crates, inſutaque plumbo
  Flagra, quid undantes igne furente rogos ?
Dum Cæſar fractas ſæva ad ſpectacula vires,
  Pallidaque exanimi Præſulis ora putat,
Circumagit vultus hilares nil territus ille ;
  Bis terque in gyrum lumina læta tulit.
Picta roſis Divo, inſtruitur quæ pompa nocendi,
  Verſicolorati ſcenaque veris erat.

XXVIII. *Aprilis.*

SS. VITALIS *, & VALERIÆ Conjugis Martyrum.

DE S. VALERIA.

EPIGR. LXVII.

CONjugis exuvias invicti Sponſa requirens
  Æmiliæ in campos læta capeſſit iter :
Occurrit turbæ, ritu quæ fœda profano,
  Silvano ſacras libat iniqua dapes :
Alliciunt vetita Divam diſcumbere menſa :
  Crudelem ſubiit, dum negat illa, necem.
Quærebat cineres ; Sponſum ſed repperit ipſum,
  Perpetuos celſo qui trahit axe dies.

SS. PA-

* De S. Vitale diximus in alio Elogiorum volumine ad diem XXVIII. Aprilis.

SS. PAPHNUTII, & QUINGENTORUM quadraginta ſex Martyrum.

EPIGR. LXVIII.

IMperio late regnat quà barbara Memphis,
Pyramidumque gravi pondere nutat humus,
Palmigeri cœtus crebreſcunt: agmine denſo
Miſta jacent juvenum funera, miſta ſenum:
Extulit infirmi ad Cælum ſe gloria ſexus;
A pœnis ætas non vacat ulla ſuis:
Supliciis exempla novis, inventaque deſunt;
Horreſcit feritas, quas parit ipſa, neces:
Undique congeſtæ cladis tolluntur acervi;
Flumina purpurei ſanguinis imbre fluunt.
Sævitiæ immanis poſt hæc documenta, cruento
Cum peteret pavidum turgidus amne ſalum,
Fonte latens Nilus ſi non eſt fabula, cœcum
Tunc illum credas occuluiſſe caput.

ALIUD

DE S. PAPHNUTIO.

EPIGR. LXIX.

FLagrorum duro conciſus verbere, palmæ
Sublimi e trunco pendulus, aſtra petis.
Pœnarum proh quanta ſeges! dum præmia pœnis
Quæ veniunt palmæ, ſunt nova pœna tibi.

SS. MAXIMI, DADÆ, & QUINTILIANI Martyrum.

EPIGR. LXX.

TErgeminos Erebi Lictor per somnia Fratres
 Territat, infesti militis ora ferens:
Dat sonitus gravis ære truces, fremit, afflit, ardet;
 Fulgenti gladium cuspide dextra rotat:
Illuxit cum prima dies, illisa securis
 Optato Fratrum vulnere colla ferit.
Luce vigil clara soboles generosa triumphat;
 Ille furit, Pugiles dum sopor altus habet.

ALIUD

EPIGR. LXXI.

TOrvâ fremit, pugnasque ciet bellator Averni,
 Mollia dum placidæ tempora noctis eunt.
Plurimus horrentis Regni sic certat Ulysses;
 Pelides raros Regia Ditis habet.

XXIX. *Aprilis*.

S. HUGONIS Abbatis Cluniacensis.

EPIGR. LXXII.

QUæ vehit angusto aereas te calle per alpes,
 Subsilit incerto territa mula pede:

Dum

Dum pavet, abruptæ te celso e vertice rupis
Præcipitem secum vallis in ima dedit:
Dant gemitus socii; lapsum frustraque requirunt;
Quod ruit in præceps, lumina terret iter:
Extinctum prope dum lugent, quatit ungula cautes
A tergo; sonitum pulsaque saxa cient:
Respiciunt: Divum famularis mula relicto
Reddidit incolumem, sospes & ipsa, jugo.
Qui te servavit, Præsul, non fœtus asellæ;
Pegasus astrifero lapsus ab axe fuit.

S. ROBERTI Abbatis Molismensis.

EPIGR. LXXIII.

LActentem rabido furtim lupus ore puellum
Diripit, & præda dives in antra fugit:
Insano genitrix furit amens perdita luctu;
Ejulat, effusas dilaceratque comas:
Irrita dum superas suspiria jactat in auras,
Te demum supplex nomine, Dive, vocat:
Bellua rupe cava remeat, natumque reportat;
Materno incolumem restituitque sinu.
Post reditum charæ qui ludit ad ubera matris
Tutus, in ore lupi tutior ille fuit.

ALIUD

EPIGR. LXXIV.

QUa tu parte domus petis æthera, discolor Iris
Hinc illinc arcus circinat orta suos:

Sæpe graves imbres, soles quæ sæpe serenos
Ominis incerti nuncia ferre solet,
Irriguos fletus sociis præsaga relictis,
Pacatos affert sed tibi læta dies.

xxx. *Aprilis*.

SS. MARIANI LECTORIS, & JACOBI DIACONI Martyrum.

Epigr. LXXV.

Regia nox Divis monstrat convivia, postquam
Composuit lentus lumina fessa sopor:
Proxima sed primo cum lux radiavit Eoo,
Tortoris gladio subdita colla cadunt:
Nullam falsa fidem servarunt somnia, dices;
Atraque nox vanis lusit imaginibus:
Illa tibi sed vera forent, fortuna palatum
Tradere si Divûm posset amica tibi.

S. MAXIMI Martyris.

Epigr. LXXVI.

Magnanimi Pugilis, sævis excussa lacertis,
Immani accelerant pondere saxa necem.
Euge, age; sola manent te præmia, Dive; laborum
Dum jacti lapides meta fuere tibi.

ELO-

ELOGIA SANCTORUM
MENSIS MAII.

1. *Maii*.

SS. ZOERARDI Monachi, & BENEDICTI Martyris.

DE S. ZOERARDO.

Epigr. I.

PRæsulis imperio, sacræ dum sedis in usus,
  Annosi nemoris cædua ligna secas,
Semianimis terræ post longos concidis ictus;
  Brachia nec durus sustinet ægra labor:
Subsidio tibi lapsus adest cælestis Ephœbus,
  Erigit e nudo fessaque membra solo;
Excipit ille etiam curru fulgente; citatis
  Et revehit famulans ad pia septa rotis.
Non est, quod paveas, densæ per confraga silvæ,
  Contingat tutum ne tibi callis iter,
Quæ te docta vehit, novit moderamine certo
  Cælestes orbes illa rotare manus.

ALIUD

Epigr. II.

FUngitur aurigæ cui munere civis Olympi,
  Magnatum quanto creditur esse loco!

ALIUD

EPIGR. III.

SÆpe alios manus Aligerûm deduxit ; ovantem
Te solum curru sed radiante vehit.

ALIUD

EPIGR. IV.

ARida, cuspidibus duris defixaque, trunci
 Robora discissi sunt tibi, Dive, thorus:
Qua mitis potuit culpa delinquere somnus?
 Ipsa molesta tibi num queat esse quies?
Crimina vexati sed nosco soporis: avarus,
 Dum nimium vigilas, est tibi, Dive, sopor.

DE S. BENEDICTO.

EPIGR. V.

PRædatrix ferro jugulat te turba latronum ;
 Jactaque flumineis corpora mergit aquis:
Projectum servat volucrum Regina cadaver ;
 Protrahit ad longas excubiasque moras:
Phœbæis, terras quæ dedignata jacentes,
 Hæret inoffenso lumine fixa rotis,
Ne stupeas vili volucrem decumbere ripa ;
 Hic etiam Solem, quem tueatur, habet,

III. *Maii.*

SS. ALEXANDRI, & ANTONINÆ Martyrum.

EPIGR. VI.

ENſe manus Pugilum diſſectæ ſanguine manant;
Inſperſum riguo purpurat imbre ſolum:
Perfide crudeli tortor nil proficis ictu;
Non dolet amiſſas ille, nec illa, manus:
Qui nova palmarum ſemper viridantia ſtringunt
Germina, tune manu, ſtulte, carere putas?

ALIUD

EPIGR. VII.

CÆditur immiti Pugilum manus utraque ferro;
Hoſtilis victas nec tamen ira putet:
Veſani duro cædit quæ corda Tyranni
Verbere, non dici dextera trunca poteſt.

IV. *Maii.*

S. PELAGIÆ Virginis, & Martyris.

EPIGR. VIII.

AUguſtæ prolis Virgo connubia vitat:
Cæſaris infeſtas nec timet illa minas:

Ida-

Idaliis ardens flammis insanit amator ;
Et se rejectum corde frementе dolet :
Perditus incumbit gladio ; properata levamen
Atque impacati fata furoris habet.
Dum præceps tanto in propriam furit impete cladē,
Crede mihi, non est fabula, cœcus Amor.

ALIVD

EPIGR. IX.

IMmitis sævæ objecit te Cæsaris iræ,
Dives opum genitrix, dum timet illa sibi.
Infelix! tanta potuit quæ Prole carere,
Noscere divitias nesciit illa suas.

ALIVD

EPIGR. X.

ÆRati, Virgo, caveis inclusa juvenci,
Supposito, imperio Cæsaris, igne peris.
Ære rigent humeri, cervix, frons, cornua tauri :
Corda magis duri Principis ære rigent.

ALIVD

EPIGR. XI.

VIrginis ossa tegunt vigiles projecta leones :
Quæ fera projecit dextera, tigris erat.

ALIVD

ALIUD

EPIGR. XII.

MActandam furiis vesani Principis offert
Crudeli Natam pectore sæva parens:
Sed contra cura servant vigilante leones,
Quæ dispersa solo Virginis ossa jacent.
Fungitur officiosa piæ fera munere matris;
Munere crudelis fungitur illa feræ.

SS. SILVIANI Gazæ Episcopi, & Sociorum Martyrum.

EPIGR. XIII.

SAcra Palæstinæ lætos dent littora plausus,
Palmarum ditat quæ numerosa seges:
Jordanes, rauco turgens & gurgite Cisson,
Ire coloratas sanguine vidit aquas:
Agmina postremus claudis, Silvane; senectus
Cui non sidereum lenta retardat iter.
Gratior infirmo clarescit corpore virtus;
Canaque dinumerat plura trophæa fides.

S. FLORIANI Martyris.

EPIGR. XIV.

NUmina damnantem mendacia vortice crebro
Te mersum tumidi fluminis unda rapit:
Vix

Vix fluit hora brevis, tortor cum solis adempti,
  Elisis oculis, damna severa tulit.
I, tenebris & disce tuis proludere nocti,
  Quæ te liventi sub Styge longa manet.

VII. *Maii*.

DE SANTISSIMO CRUCIS SIGNO:

EPIGR. XV.

FLaviadæ Magni proles cum flecteret Orbis
  Edomiti augusta tradita frena manu,
Emicuere Crucis fulgentia signa, pependit
  Nostra triumphali qua trabe nexa salus:
Axe super rutilans tenuit fastigia montis,
  Sacra ubi Divino sanguine gemmat humus;
Excursu longo projectaque, lumine complet
  Te quoque, olivifero germine dives apex.
Procumbit terræ, nec fervida vota coercet;
  Illacrimans lætos turba cietque sonos:
Dum natis monstrant vexilla micantia matres,
  Celsa docent quantum sustulit arbor onus.
Jordanes effert totas in gaudia ripas;
  Prodigia æquoreis claraque narrat aquis.
Astra micans petiit Numen post fata: triumpho
  Scandere Crux etiam debuit astra suo.

S. JOANNIS Hagustaldensis, & Eboracensis Episcopi.

EPIGR. XVI.

QUadrupedem cursu immodico ne vexet anhelũ,
  Dive, viæ socium terque quaterque mones:
Ille

Ille animis fidens, & primæ flore juventæ,
Urget inexpletam læta per arva fugam:
Tu magis elata deterres voce, furentem
A rapido posses si revocare gradu;
Acrius ille ferox subdit calcaria: surda
Sed dum solicitos excipit aure sonos,
Dat quadrupes incompositos per jugera saltus:
Excussus subito labitur ille metu:
Horrisonum reddunt saxis illisa fragorem
Tempora, & irriguo sanguine cæsa rubent:
Exsurgit demum fluido caput imbre cruentus,
Et, freni indocilem, verbere pulsat equum.
Improbe, nil meruit sonipes: tu pectore duro
Negligis imperium Præsulis, ille tuum.

VIII. *Maii*.

S. ACATII Centurionis Martyris.

EPIGR. XVII.

Vulnera, quæ tetri defers in carceris umbras,
Profectus supera curat ab arce Puer:
Attulit Idæis dictamna ignota capellis,
Queis inopina tibi parta repente salus:
Dum nova tu pœnæ sociis miracula monstras,
Ejurat falsos concita turba Deos.
Pæonia doctus quam proficis arte! Magistri
Jam superas laudes æmulus ipse tui:
Ille, flagri immitis tulerunt quæ vulnera, curas
Sed tu Tartarea vulnera facta manu.

S. VICTORIS Mauri Martyris.

EPIGR. XVIII.

ROboreo plantas tortoris dextera cippo
Alligat, & torta cannabe, Dive, tibi:
Irrita ſpes illum ludit, ſi ſperat acerbo
Suplicio tantam poſſe labare fidem;
Nam pede pugnantem immoto ſubſiſtere, firmas
Quæ figit plantas pœna vel ipſa docet.

S. WIRONIS Scotiæ Epiſcopi.

EPIGR. XIX.

REgali de ſtirpe ſatus, qui, Marte ſecundo,
Agmina Francigenûm ductor ahena regit,
Pipinus Divi nudo pede tecta frequentat,
Præſulis & ſacros ſternitur ante pedes.
Bellator fortis novit, munimina Regni
Hoſpite ab egregio quanta parare queat.

S. PETRI Archiepiſcopi Tarentaſii.

EPIGR. XX.

QUæ laqueis adſtricta gemit, torquetur & atro
Carcere, te ſuplex nomine turba rogat;
Invifis cœcos degens procul ipſe penates;
Et clara præſens luce coruſcus ades:
Aſpectu refoves detentos, vincula ſolvis,
Prævius æratas ducis & ante fores:

Con-

Contactu postes patuerunt ; agmine facto ,
Deserit obscuros turba soluta lares :
Decipit excubias armati militis ; hostes
Et Duce per medios Præsule carpit iter :
In loca deveniunt sed postquam tuta , referre
Pastori grates læta caterva parat :
Ille sed in tenues extemplo evanuit auras ,
Ceu radiante levis solvitur axe vapor .
Prodigia haud satis est geminari;ut plurima præstet,
Se geminat miris author & ipse modis .

ALIUD

EPIGR. XXI.

OPpida dum peregrè lustras tibi tradita curæ ,
Hospitia haudquaquam publica , Dive , petis;
Agmina sed primum quæris mendica , vagari
Huc illuc quotquot cogit iniqua fames :
His te stipatum sociis frugalis aperto
Sub Jove , in herboso gramine , mensa vocat :
Olla laboratam pultem coquit omnibus una ;
Æqualem Cererem sacculus unus habet ;
Qua patina sumis tu fercula , sumit eadem
Turba frequens ; cyatho quo bibit illa , bibis :
Quæ magis arrident obsonia grata palato ,
Solicita sociis porrigis ipse manu .
Laudo pios animos : sed quid , si , fraude latenti ,
Illecebris capiat te gula forte suis ?
Non vanus timor est : turbis sociatus egenis
Quam libas , sapida est nam nimis esca tibi .

x. *Maii*.

S. GORDIANI Martyris.

Epigr. XXII.

Æ Therei Regis Cæsar qui signa reliquit;
Te jubet Imperii sustinuisse vices:
Siderea ritus ductus tu luce profanos,
Deseris & clara castra nefanda fuga:
Te desertorem Cæsar dum funere mactat,
Ille tibi optatam pandit ad astra viam;
Augustum desertorem qui sub Styge plectat,
Desertor quondam Numinis alter erit.

xi. *Maii*.

SS. GLICERIÆ, & LAODICII Martyrum.

DE S. LAODICIO.

Epigr. XXIII.

G Liceriam mira nitidam cum luce, solutos
Et laqueos vidit Virginis ante pedes,
Carceris umbrosi custos Laodicius artus
Æratis vinclis induit ipse suos:
Advolat immitis mox Judicis ante tribunal;
Et sæva gladii cuspide fata subit:
Crimina si quæris, furtum sunt crimina; Divæ
Surripuit celeri ferrea vincla manu.

DE

DE S. GLICERIA.

EPIGR. XXIV.

FEsta dies ad templa Jovis dum convocat urbem,
Diva iterat validas corde flagrante preces:
Obtendunt subito Phœbæos nubila currus,
Et scissus crebro murmurat igne Polus:
Cum fremitu delubra labant; trifidæque sagittæ
Numinis effigies impete fracta cadit.
Christiadum lapsum risit pia turba Tonantem;
Fulmine cum rector fulminis ipse ruit.

ALIUD

EPIGR. XXV.

IN te tortorum, validis metuenda lacertis,
Horrifica lapidum grandine turba furit:
Saxa volant; hærent medio sed pendula cursu;
Numina tu, nullo vulnere læsa, colis.
Corpora tot Divæ circum miracula surgunt,
Quot contra lapides sæva caterva jacit.

SS. ANTHIMI, & Sociorum MM.

EPIGR. XXVI.

PŒna plagis superis non addidit una sodales,
Anthimus at gladio colla petenda dedit:
Excipiunt placido primum Tiberina fluenta
Demersos artus ambitiosa sinu:

E mediis illos sed sustulit Aliger undis;
  Fulgenti vinctas solvit & ense manus.
Illustri Tiberis viduatus pignore, mœstus
  Demissa æquoreas fronte petivit aquas.

S. MAMERTI Episcopi Viennensis.

EPIGR. XXVII.

CORripiunt celsos undosa incendia muros;
  Queis cælo attollit clara Vienna caput.
Obstantis turbæ validis non viribus ignis,
  Non haustis rapido è flumine cedit aquis:
Mœnia tu precibus servas, dum pronus ad aras
  Numina, cum populo suplice, Dive, rogas.
Quam Rhodanus totis frustra compescuit undis,
  Extincta est lacrimis fervida flamma tuis.

S. GANGULPHI Martyris.

EPIGR. XXVIII.

MUlta tibi latis excurrunt prædia campis;
  Sed nullus riguas dat tibi rivus aquas:
Incidis in fontem, patria procul urbe remotum,
  Pinguia dives ubi rura colonus arat:
Accedis propius; vitreas miratus & undas,
  Vendere tu fontem num velit ille? rogas:
Effusos læto dat rusticus ore cachinnos;
  Atque tua gestit simplicitate frui:
Lucro inhians pretium poscit sed vile; moratus
  Tu nihil, exerta porrigis æra manu:

Aret

Aret ibi extemplo ; saliit translatus in agros
   Ubere fons vena perspicuusque tuos :
Venditor obstupuit ; par fonti atque aridus hæsit .
   Quot risus lacrimas improbus ille dedit !

S. NICOLAI Abbatis.

EPIGR. XXIX.

PErcurris sacrum decumbens Dive volumen ,
   Subrepit tacita dum tibi nocte sopor :
Dum fessos artus ille alligat , excidit ardens ,
   Cerea in angustum fax revoluta thorum :
Non tunicam , lædit tenuem non illa papyrum ;
   Culcita ab innocuo crassa nec igne flagrat .
Blanda quies Divum dum detinet , ipsa favillis
   Flamma soporatis otia longa trahit .

XII. *Maii*.

S. EPIPHANII Episcopi Constantiæ in Cypro.

EPIGR. XXX.

EXerit in Divum gladium , cui , sidere lævo ,
   Ex oculis expers luminis alter erat :
Dum ferrum ruit in vulnus , lux reddita cœcam
   A sæva avertit cæde repente manum .
Lumine privari meruit crudelis utroque ,
   Munere sed Divi cœpit utroque frui .

ALIUD

Epigr. XXXI.

Dum Divi postes audet perfringere miles,
  Aruit ante ipsas dextra repente fores:
Ostiolum Divus recludit; criminis ille
  Dum veniam rogitat, libera dextra redit.
Cum postes quatit, arescit; cum pectora pulsat,
  Convaluit tactu suplice sicca manus;
Edidicitque simul, nullo procumbere valvas
  Ariete, custodit quas bene culta fides.

ALIUD

Epigr. XXXII.

Compositum mœsto dum te nudare feretro
  Clam socios tentat, Dive, proterva manus,
Tu pede sublato audacem bis terque repellis,
  Improbaque excussis calcibus ora petis.
Oscula quam vellem tibi figere mille, pudorem
  Quæ colere ingenuum tam bene, planta, doces!

S. MODOALDI Episcopi Trevirensis.

Epigr. XXXIII.

Corripit effusis templum Vulcanus habenis,
  Quo, tumulo tectus divite, Dive, jaces;
Exuvias non ulla tuas incendia tangunt;
  Torquet in adversum flamma volucris iter.
Frena mari opponit si mollis arena, potestas
  Quin cineri, domito tanta sit igne, tuo?

S.RI-

S. RICTRUDIS Martianensis.

EPIGR. XXXIV.

EXtincto mœstam traducit conjuge vitam;
 Et servat viduos sola relicta lares:
Votis illa diu Procerum quæsita precantum,
 Regia detrectat quos habet aula Duces:
Sed cum lecta cohors animis flagrantibus instat,
 Spondet inoffensam Sponsa futura fidem:
Splendida regali celebrat convivia pompa;
 Delectos clara stirpe procosque vocat:
Ipsa hilari vultu, flaventes compta capillos
 Emicat, & roseis conspicienda genis:
Postquā exempta fames;nitidoque instructa paratu,
 Dimisit lautas mensa remota dapes,
Illa sacrum casto celatum pectore velum
 Explicat; effusas læta tegitque comas:
Deceptos stupor altus habet; frustraque queruntur
 Matronæ fluxam nobilis esse fidem;
Nam quæ sidereo fulsit bene nupta Tonanti,
 Pollicitis mendax non fuit illa suis.

XIII. *Maii*.

S. ALEXANDRI Martyris alterius.

EPIGR. XXXV.

UT vinclis te turba ferox adstringat ahenis,
 Accelerat rapidos exitiosa gradus;

Sed retro occursu primo vestigia torquet
  Territa ; dejecta lapsaque fronte tremit.
Quæ Divi vultu radians lux fulget, in illos
  Horrida saxificæ Gorgonis umbra fuit.

ALIUD

EPIGR. XXXVI.

AMputet ut Divi crudelis colla satelles,
  Attollit, rigido quæ micat ense, manum;
Territus Aligeri aspectu sed languet ad ictus ;
  Deficiens prono lapsus & ore ruit:
Surgit, & immiti durum rotat impete ferrum ;
  Aligero atqne iterum dextra minante tremit:
Non toleras tu, Dive, moras ; paulumque recedat
  Nuncius ut celso missus ab axe, rogas:
Pectore mox læto lictorem affaris: Amice,
  Aude, ais ; & firmo robore colla feri.
Proh pugilis miros animos! quas Civis Olimpi
  Tortori vires abstulit, ille dedit.

S. SERVATII Episcopi Tungrensis.

EPIGR. XXXVII.

NUbiferos circum nix obsidet algida montes ;
  Concreto vacat à frigore nullus apex ;
Sola tuum, Præsul, decorat quæ templa sepulcrum
  Non libat gelidus qui fluit axe liquor.
Quas fervens cinis ejaculat, non ille favillas,
  Nec solvi in latices vellera cana, timet ;
Sed colles nitidi cingit velamine serti,
  Ne desit tumulo digna corona tuo.

S. JOAN-

S. JOANNIS Epiſcopi Silentiarii.

EPIGR. XXXVIII.

BIs ſenos annos ſervare ſilentia juſſus,
Vix ullos parco protulit ore ſonos.
Noris ut os tacitum pariat quæ commoda, non eſt
A muta quæras ut documenta Samo:
Lingua ſilens ſolas Amyclas; ſed perdidit Orbem,
Heu male ſerpenti credula, lingua loquax.

ALIUD

EPIGR. XXXIX.

ABrupti procul erraret cum vertice montis,
Concidit obſcuræ vallis in ima Senex:
Nulla patet ſublime jugum quæ ſemita monſtret;
Nullus qui poſſet ferre viator opem:
Sidereum, ſuperant quæ ſola levamina, rebus
Subſidio afflictis Numen adeſſe rogat:
Nec mora, cum ſudum rapitur per inane; relictos
Vi ſubita ſoſpes redditur inque lares:
Segnior alato Medus petit aera telo;
Segnior in nubes regia fertur avis:
Nil retulit, fractas lapſu procumbere vires,
Robora dum cordis firma precantis erant.

XIV. *Maii*.

SS. VICTORIS, & CORONÆ MM.

DE S. VICTORE.

EPIGR. XL.

COnfringit Divi digitos, fractosque revellit
Sævior Hircanis impia dextra feris.
In digitos sævit, pugnax Athleta Tonantis
Ne posset palmas enumerare suas:
Est compos voti: innumero certamine Victor,
Non potis est palmas nam numerare suas.

DE S. CORONA.

EPIGR. XLI.

PAlmarum truncis hinc illinc alligat artus,
Distractos tortor dilaceratque, tuos.
Pœna tibi palmas, dant nomina clara coronam;
Parta tibi gemino est pignore certa salus.

S. PACOMII Abbatis.

EPIGR. XLII.

MEntitus galli formam te, Dive, lacessit;
Tartareus festo ludit & ore Draco.

I, men-

I, mendax; Stygii tenebras pete carceris; audes
Promere cristato gutture tune diem?
Concine, feralis bubo, tua tristia fata,
Luctiferæ mortis nuncia, noctis avis.

S. BONIFACII Episcopi Ferentini.

EPIGR. XLIII.

VInea, proventus Divo quæ sola ministrat,
Lenæos latices, grandine pressa, negat:
Non illum ruris facies sed squalida terret,
Et quæ spes anni gleba fefellit iners:
Dolia quin cogi mandat, vinaria quotquot
Compositosque solet condere cella cados.
Mox vidua modicos decerpere vite racemos,
Calcare excerptos agricolamque jubet:
Dum lectos premit ille, liquor succrescere visus;
Largaque sordenti sub pede vina fluunt:
Purpurat ignaro dives vindemia Baccho;
Ignorat colles hospes & uva suos.
Splendida, Dive, tuæ sunt hæc miracula dextræ;
Tu mira Autumnos munera ferre doces.
Traxerunt alii sicco de pumice fontes;
Tu trahis è vacuo fervida musta lacu.

ALIUD

EPIGR. XLIV.

PRæsulis imperio, stricto quam dente tenebat,
Restituit vulpes subdola cortis avem.

Fu-

Furari volucres exemplo vulpis opimas
Quæ discat, numero callida turba caret;
Al ilium fœtus sed contra, vulpe magistra,
Qui discat raptos reddere, rarus erit.

SS. PETRI, ANDREÆ, PAULI, & DIONYSIÆ Martyrum.

DE S. PETRO.

EPIGR. XLV.

STrenua crudelis procumbit victima ferri,
Dum tibi, fœda Venus, flectere colla negat.
Laude nitet gemina; subdit dum colla securi;
Dum vertit Cypriæ terga retorta Deæ.

DE SS. ANDREA, & PAULO.

EPIGR. XLVI.

DIanæ turpes horrent procumbere ad aras;
Tela pharetratæ despiciuntque Deæ:
Turba ferox duris sævit metuenda lacertis;
Et Pugilum saxis obruta membra tegit:
Horrida crudeles infligunt vulnera dextræ;
Lætanturque magis, quo graviora ferunt.
Desere jam silvas, venatrix Diva; sagittis
Has pete, quas pariunt urbica tecta, feras.

DE

DE S. DIONYSIA.

EPIGR. XLVII.

DUm procul Heroas geminos procumbere ſaxis,
  Et fluere in rivos membra cruenta, videt,
Involat in lapides; ſacroſque amplectitur artus,
  Funere magnanimo certa Puella mori.
Quanta puellaris micuerunt robora dextræ!
  Commeritas palmas non capit illa, rapit.

XV. *Maii*.

S. DYMPNÆ Virginis, & Martyris.

EPIGR. XLVIII.

INceſtis patrem ut vidit flagrare favillis,
  Elata cœcus ter face geſtit Amor:
Aggreditur Natam, tenera de Virgine ſpondet
  Et ſibi poſt domitum clara trophæa patrem:
Tela jacit: recidunt ſine vulnere tela; ſagittis
  A tergo pendet nuda pharetra ſuis:
Corda petit flammis: ictu laſſatur inani;
  Extinctæ retulit damna probroſa facis.
Quid faceret? ſuperant humeris non ſpicula; flammas
  Dextera quæ vibret ſed nec inermis habet.
Abſcedit torvæ victus Feritatis in ædes,
  Mutua quam ſuplex præſtet ut arma, rogat:
Arripuit gladium; generoſæ & Virginis, ictu
  Aſſiliens rabido, lactea colla ferit.

Exi-

Exitiose Puer, tumeas ne Virgine cæsa ?
  Ne nimium fausto vulnere plaude tibi:
Quæ tua sunt, risit tela irrita fortis Amazon;
  Quam geris, extinctam cerne, proterve, facem:
Bellator vilis furtivo inglorius ense
  Quo sævis, optat, non timet illa mori.

ALIUD

EPIGR. XLIX.

FRaudibus Idalii, Lector, ne fide Tyranni:
  Arma gerit diri sæpe Furoris Amor.

XVI. *Maii*.

S. DAMNOLI Episcopi Cenomanensis.

EPIGR. L.

PRædia, quæ sacro suberant obnoxia templo,
  Aulicus invadit Regulus, ære potens:
Prandia cum sociis herbosi ruris in umbra
  Dum struit, & multo proluit ora mero,
Præsul adit vino madidum, fundosque reposcit:
  Ille truci vultu torvus abire jubet:
Nox illi suprema fuit sed proxima; morbi
  Namque illum celeris vis inimica rapit.
Ferales epulas, Prædo, tibi mensa paravit;
  Funebris illa tibi, non Genialis erat.

xix. *Maii*.

S. DUNSTANI Archiepiſcopi Cantuarienſis.

EPIGR. LI.

DUm canis effigiem ſimulat Cocytius hoſtis,
Exerto in Divum ſpumeus ore furit:
Latratus circum ſed poſtquam effudit inanes,
Ad Styga nodoſo ſtipite pulſus abit.
Melle laboratam Præſul non projicit offam:
Dat baculus Stygio cruſtula digna Cani.

ALIUD

EPIGR. LII.

NUnc ſenis, ingenuæ ſimulans nunc ora puellæ,
In te Dux Erebi ſubdolus arma movet:
Tu contra aſſiliens ignita forcipe nares
Arripis; huc illuc implicitumque trahis:
Bellua, parce queri, naſus ſi dente tenaci
Stringitur: hac vitium diluit arte tuum:
Heroi demens dum tanto illudere pergis,
Te reor emunctæ naris habere nihil.

ALIUD

ALIUD

EPIGR. LIII.

DUctilis, ut sacri firmet fastigia tecti,
Trabs valida sursum tollitur acta manu:
Immanes densa contortos cannabe funes
Supposito elatos trochlea vecte rotat:
Sed medium cum vix cursum tenuere, fragorem
Stupea terrificum vincula fracta cient:
Dum moles ruit in præceps, dum turba ruinam
Spectatrix certam conglomerata pavet,
Augustæ Præsul Signo Crucis aera findit;
Brachiaque in superas tollit aperta plagas:
Substitit; atque altas cursum trabs torquet in ædes;
Signatum tenuit fixaque sponte locum.
Quadrifido Signum quod robore sustinet orbem,
Nutantem potuit continuisse trabem.

ALIUD

EPIGR. LIV.

DUm valido stratus morbo decumbit, in altum
Siderea elatum dextra cubile rapit:
Pulvillus salit, ceruical, culcita, ferri
Nec gravis adjectum fulcra retardat onus:
Celsa ter extremi tetigit fastigia tecti;
Limina ter rediit rursus ad ima thorus.
Si non obstiterat densis trabs nexa tigillis,
Ad cælum poterat carpere lectus iter.

S. IVO-

S. IVONIS Presbyteri, & Confessoris.

EPIGR. LV.

SAcrorum Vatum subdis cæleste volumen,
Cervical capiti nobile, Dive, tuo.
Pacatam meritò præstant tibi scripta quietem,
Sedulus observas quæ meditata vigil.

ALIUD

EPIGR. LVI.

FErcula dum sumis, te fercula poscit egenus;
Accubat & mensa protinus ille tua:
Cum satur abscedit, radianti splendet amictus
Lumine; luce nova tota micatque domus.
Fercula Rex Phrygiæ fulvum vertebat in aurum;
Convivas ipsos tu rutilare doces.

XX. *Maii*.

S. AUSTREGISILI Archiepiscopi Bituricensis.

EPIGR. LVII.

HOste lacessitus perjuro, atque ore maligno,
Sequanici imperio Principis arma paras:
Æmulus interea indocilem parere lupatis
Quadrupedem virga dum resonante docet,
Emi-

Emicat ille ferox, caput erigit, excutit armos;
  Sessoremque gravi vulnere sternit humi:
Purpureum structor fraudis vomit ore cruorem;
  Et rabido moriens dente momordit humum.
Exue squamosum duris thoraca metallis,
  Et gladio adstrictum vindice, Dive, latus:
Insidum victor pro te pugnavit in hostem;
  Suplevitque tuas jam Deus ipse vices,

XXI. *Maii*.

S. HOSPITII Reclusi.

EPIGR. LVIII.

QUi modo Parrhasia miles progressus ab Arcto
  Lustrabat silvas, Gallica terra, tuas,
Te videt angusto sub fornice vincla gerentem
  Ferrea; decepta mente putatque reum:
Approperans, Genus hoc pœnæ quo crimine, dixit
  (Elatoque manum sustulit ense) luis?
Dejectis oculis, Non uno crimine sontem,
  Non uno dignum funere cernis, ais:
Ille ferox gladio fruitur mactare nocentem:
  Aruit extemplo sed tremefacta manus:
Admonitus dextram errantem fletu ubere culpat;
  Et prono veniam criminis ore rogat:
Projicit arma procul; fetoso tectus amictu,
  Exesa rigidos rupe trahitque dies:
Dextera convaluit; quæ summo à Numine tantas,
  Si non errasset, non retulisset opes.

XXIII. *Maii*.

S. GUIBERTI Confessoris.

EPIGR. LIX.

DUm geminæ certant collectis viribus urbes,
 Ambit & exuvias utraque ferre tuas,
Ingruit horrificis tempestas horrida nimbis;
 Et multo resonat fulmine scissa dies:
Altera pars fruitur spoliis opulenta receptis;
 Altera frustrato mœsta labore redit.
Auctus honos Divi ventoso à turbine: tànta
 Lis dirimi cælo judice digna fuit.

XXIV. *Maii*.

SS. DONATIANI, & ROGATIANI Martyrum.

EPIGR. LX.

LUce nova fulgent, cæli duo sidera, Fratres,
 Quos celsa immitis vexit ad astra chalybs.
Felices, si fausta colant hæc sidera, nautæ!
 Castoris est gemini, credite, nulla fides.

XXV. *Maii*.

S. ZENOBII Episcopi Florentini.

EPIGR. LXI.

COnfertum populo per iter, lucente cadaver
  Deducit pompa dum pia turba tuum,
Funebris incertus fluitat, lapsumque minatur,
  Decidit & nuda jam prope lectus humo:
Nutantem retinet quæ, densis horrida ramis,
  Implicat adversans, arctat & ulmus iter:
Contactu undantis sed floruit illa feretri,
  Et viruit lætis luxuriosa comis.
Extinctus vegetat plantam, rediviva sepulcris
  Plurima qui traxit corpora luce fruens.

S. ALTHELMI Episcopi Schireburnensis.

EPIGR. LXII.

DIvinæ explevit postquam libamina mensæ,
  Flexus humi certas solvat ut ore preces,
Rejicit à tergo sacræ velamina vestis;
  Exciperet sed qui tradita nullus erat:
Aere suspensam tenuit, bipatente fenestra
  Quod nituit solis missile forte jubar.
Munere cui servit docilis sol ipse Ministri,
  Lumina tu Mystæ quanta fuisse putas?

ALIVD

ALIUD

EPIGR. LXIII.

TEstis nequitiam mendacis ut arguat, infans
Nutu, Dive, tuo verba diserta dedit.
Diluit insontis lactans qui crimina Judex,
Orator laudes prædicat ille tuas.

ALIUD

EPIGR. LXIV.

MArmoreæ quadrupes subvectat prævius aræ
Pondera, dum Latia Divus ab urbe redit:
Rupe ruens sonipes occumbit; marmora saxis
Allisa in partes dissiliere duas:
Surgit equus valida Divi prece; nectitur ara,
Vulnere clarescit quæ pretiosa suo.

S. AUGUSTINI Anglorum Episcopi.

EPIGR. LXV.

SIderei Regis, lato circumflua ponto,
Anglia te didicit Præsule ferre jugum:
Sed non, regna petens terrarum extrema, fatigas
Classibus æratis spumea terga maris:
Agmina non tulerunt elatæ horrentia puppes;
Pulsa nec horrificos arma dedere sonos:

Claruit effusi victoria sanguinis expers;
  Fœdarunt fortem funera nulla manum:
Procumbunt Divûm vanos imitantia vultus
  Marmora; strata solo templa profana jacent:
Lustrales undæ extinguunt incendia, fornax
  Quæ Stygia infesto prægravis igne vomit.
Quas non longa dies, domuere nec agmina mille,
  Romuleis addis fascibus ipse plagas.
Insula bellatrix Crucis inclita signa veretur;
  Roma ferox, aquilas non timet illa tuas.

XXVIII. *Maii*.

S. GERMANI Episcopi Parisiensis.

EPIGR. LXVI.

TUrba legit paleas, Divo queis nocte cubanti
  Contigit irriguo parca sopore quies:
Morborum pellunt arentes agmina culmi;
  A stipula veniunt robora firma levi.
I, prohibe flammas; steriles lege messor aristas:
  Profecit tanto fœnore nulla seges.

ALIUD

EPIGR. LXVII.

PAndere dum clausi connititur ostia templi,
  Obstat inexplicitæ lamina firma feræ:
Dum signum valvis Crucis imprimit, ænea cedit
  Compages; clavis Crux subiitque vices.
Quin templi postes recludat clavis, Olympi
  Obstructas potuit quæ reserare fores?

XXIX. *Maii*.

SS. SISINNII MARTYRIS, & ALEXANDRI Martyrum.

EPIGR. LXVIII.

RObore concordes firmo, vos dispare pœna
  Extulit ad superas mors generosa plagas:
Æra sed incurvo gestabas tinnula collo,
  Sisinni, ad claram dum traherere necem:
Solvitur in lætos spectatrix turba cachinnos,
  Dum reddit raucos nola repulsa sonos.
Quæ pecoris nota vilis erat, tibi tessera fulget
  Splendida, dum cælo victima grata cadis.

S. MAXIMI Episcopi Trevirensis.

EPIGR. LXIX.

TE præit, & duro sub fasce laborat asellus,
  Dum denso nemoris calle capessis iter:
Horridus exertis illum petit unguibus ursus;
  Membraque sanguineo dente resecta vorat:
Accersis præda saturum, taboqe madentem;
  Sarcinulasque humeris ut ferat ipse, jubes:
Explicat ille silens undantis vellera tergi;
  Compositumque subit, nil remoratus, onus:
Appulit ad sacras sed postquam Præsulis ædes,
  Ad sua deposito pondere, tesqua redit.

Desere jam silvas, furvos, fera, desere saltus;
Præmiaque obsequii nobilis astra pete:
Ipsa tibi extrema cæli jam parte recedit,
Accipit inque suum Parrhasis Ursa locum.

XXXI. *Maii*.

SS. CANTII, CANTIANI, & CANTIANILLÆ Martyrum.

EPIGR. LXX.

TOrtores Divos rapiunt, quadriga citatis
Quos levis huc illuc devehit acta rotis:
Lecta cohors, denso præcincta satellite, claram
Ad palmam rapidis concita fertur equis.
Festinat currus levis orbita; pectora Divûm
Sed si pertentas, lenta quadriga fuit.

ALIUD

EPIGR. LXXI.

PArcite Victores, magnis Circensibus actis,
Quos olim ad Superos palma relata tulit:
Divorum curru, quæ flecteret acta jugales
Doctior ad metam, nulla quadriga fuit.

ALIUD

EPIGR. LXXII.

FAma refert vos ad palmam duxisse jugales;
Quadrupedum fuerit quis color, illa silet:
Divinare licet: qui vos ad sidera curru
Celsa triumphantes extulit, albus erat.

ELO-

ELOGIA SANCTORUM
MENSIS JUNII.

1. *Junii.*

SS. PAMPHYLI, VALENTIS, PAULI, SELEUCII, PORPHYRII, THEODULI, JULIANI, & aliorum Martyrum,

EPIGR. I.

NOn uno generosa Phalanx certamine pugnat;
 Non uno victrix funere cæsa cadit:
Quot vincunt Pugiles, tot gemmis clara coruscant,
 Relligio, fronti tradita serta tuæ.

S. SIMEONIS Monachi Trevirensis.

EPIGR. II.

INfestat Divum, furvi sub imagine corvi,
 Lucifugus Stygia de legione comes:
Perstrepit assultans circum nigrantibus alis;
 Dat crocitans raucos & simul ore sonos.
O demens! vires certamine perdis inani;
 Omina nam pugnæ tristia corvus habet.

ALIUD

EPIGR. III.

LImina, sole carens, turris colis ima profundæ,
Squalor ubi sedem, cœcus & horror habet:
Concutit aeream molem Cocytius hostis,
Te loca dum fatuus quærere tuta putat:
Sed vani quatiunt ictus immania saxa;
Irritus atque dolis fallitur ille suis:
Non petit à valida Divus munimina turri;
Firma sed à Divo robora turris habet.

ALIUD

EPIGR. IV.

LActat odoratas humor ceu roscidus herbas,
Extincto à Divi corpore sudor abit:
Turba nocens Erebi obsessos quos alligat artus,
Contactu à vinclis explicat ille suo.
Jure madet largo fluidum sudore cadaver,
Dum Ditis pugnans agmina tanta fugat.

II. Ju-

11. *Junii*.

SS. PHOTINI Episcopi, SANCTI DIACONI, EPAGATHI, MATURI, ATTALI, BLANDINÆ, & Sociorum Martyrum.

EPIGR. V.

IN Divos totas rabies licet effera vires
  Exerat, & ferro sæviat, igne, feris,
Supliciis tamen haud ullis saturata quiescit;
  Corpora sed flammis intumulata jacit;
Mox Rhodani jactos cineres dispergit in undas;
  Acceptosque suis disjicit æquor aquis.
Errabunt cursu modico; nam certa micantes
  Excipiet gremio non peritura quies.

DE SANCTO DIACONO.

EPIGR. VI.

PRodere dum nomen cogit te, Dive, Tyrannus;
  Sum veri cultor Numinis, ipse refers:
Dum sedes urget patrias, dum nosse parentes;
  Sum veri cultor Numinis, ipse refers:
Exactæ seriem vitæ, munusque requirit;
  Sum veri cultor Numinis, ipse refers:
Multa licet rogitet, verbum non adjicis ullum;
  Omnia nimirum sunt tibi, culta fides:

Ve-

Vera refers: decora ingenuæ nam cætera vitæ;
Numine non culto, quid rear esse? nihil.

III. Junii.

SS. PERGENTINI, & LAURENTINI Martyrum.

EPIGR. VII.

LOnga fames tetro cruciat vos carcere, fauces
Et simul arentes torquet anhela sitis;
Sed dape vos supera reficit cælestis Alumnus,
Aspectu afflatos & radiante beat.
Sæpe frui tanto captivus ut Hospite possem,
Optarem longas carceris esse moras.

ALIUD

EPIGR. VIII.

MArmoream Pugiles apprensos ducit in ædem
Tortor, ubi effigies fulget ahena Jovis:
Vix illi accedunt, Ephyræi signa metalli
Vertice concusso cum tremefacta labant;
Tum, veluti primos nix algida Solis ad ictus,
Effusa in rivos ære fluente liquent.
Nimirum validis arserunt æra favillis,
Queis gemini Herois fervida corda flagrant.

ALIUD

ALIUD

EPIGR. IX.

R Obora vana tuum, Cæsar, jactare Tonantem,
A Divûm flammis dum liquet ille, liquet.

ALIUD

EPIGR. X.

S Acrorum Pugilum virtus viget ænea, prunas
Dum læti ardentes sustinuisse queunt;
Æneus at conrra Divûm dum Juppiter arsit
Aspectu primo, cereus ille fuit.

S. LIPHARDI Abbatis.

EPIGR. XI.

S Olicitos terret cristata fronte colonos
Colla ferox tollit qui maculosa, draco:
Arva situ turpi squalent inarata, fugaces
Dum pavor agricolas mœstus & horror habet:
Adversis non quisquam audet concurrere telis;
A sola superest spes male tuta fuga:
Deficit afflictis postquam fiducia rebus,
Accersis superam, Dive, rogatus opem:
Sed non ense latus munis, non casside frontem;
Alipedem flectis nec clypeatus equum:
Arentem virgam terræ defigis inerti;
Illa sagum, clypei suplet & illa vices;

Lu-

Luſtrat inacceſſæ turgens dum confraga ſilvæ,
Inque auras coluber ſibila dira jacit,
Virga teres rabido occurrit: perterritus hæret
Protinus; & nudo corruit ille ſolo:
Exanimes artus immorſa linquit arena;
Immenſamque tegit corpore ſtratus humum:
Exſiliere animis, domitoque illudere gaudent,
Queis modo vel monſtrum cernere, terror erat.
Palmis, Dive, tuis cedant, ſpolia ampla draconum
Armata fortes qui retulere manu:
Arma illis partem laudis rapuere; colubrum
Dum virga ſuperas, eſt decus omne tuum.

S. QUIRINI Epiſcopi, & Martyris.

EPIGR. XII.

DEvincta lapidem geſtans cervice molarem,
Præcipiti Divus tollit ab amne caput:
Extimulat dictis ſocios, quos agmine cogit;
Excipit herboſo denſaque ripa ſinu:
Ille novas addit generoſo hortamine vires;
Utque ineant læta prælia fronte, monet.
Parce, precor: validæ clames licet impete linguæ,
Quæ tecum fluitat, plus mola vocis habet.

ALIUD

EPIGR. XIII.

QUæ collo religata geris, dum mergeris undis,
Sublimi tecum gurgite ſaxa natant.
Duritiem te ſaxa docent depònere, tortor,
Quæ, vaga dum fluitant, depoſuere ſuam.

ALIUD

ALIUD

EPIGR. XIV.

DUm Divum ſaxoſa vehit mola gurgite ſummo,
Gliſcit inhumani Cæſaris ira ferox:
Infremit horrendùm; &, furiis agitatus iniquis,
Obſtupet in ſaxo deſide pondus iners:
Arguis immerito lapidem, ſæviſſime Princeps;
Non mergit, rapidus ſed terit iſte lapis:
Veſana frendens liventia viſcera rodis
Dum rabie, fibras conterit ille tuas.

ALIUD

EPIGR. XV.

VErane? decepti larvis an ludimur; undis
Et Divum ſummis non mola, cymba vehit?
Impia mordaci ludit ſic turba cavillo;
Reddidit hos ſubito cui pia lingua ſonos:
Cymba levis Divi eſt collo quæ pendula, collo
Nexa tuo, cautes illa molaris erit.

v. *Iunii*.

S. BONIFACII Archiepiſcopi Moguntini, & Martyris.

EPIGR. XVI.

NUminis Athletam ſeries immenſa laborum,
Per variaſque terit terra ſalumque vices:
Nur-

Nuncius æthereæ legis volat alite planta,
Fervida quò superi flaminis aura vocat:
Ditavit postquam radiis cælestibus urbes,
Regnaque, quæ flavi Teutones ampla colunt,
Arva petit, vasto Oceanus quæ gurgite lambit,
Rhænus ubi æquoreas turgidus auget aquas:
Sed dum tartarea mersas caligine mentes
Ad rectum flectit relligionis iter,
Turba ferox animis, cultuque infecta profano,
Ad certam Divum quærit iniqua necem:
Sævit in insontem; frameis saturantque cruentis
Corpora barbaricam dilaniata sitim.
Nobile præsidium Divo, sociusque viarum,
Obductum nitida pelle volumen erat:
Quas summus subiit pœnas, quæ fata, Magister,
Quasque tulit leges, pagina sacra refert:
Pectore magnanimi Pugilis tunc condita, tortor
Diripit audaci scripta verenda manu:
Nec satis est rapuisse; trucis sed cuspide ferri
Confixas tabulas projicit ille procul:
Prodigium dictu mirum! lacerata papyrus
Illæsas rabido servat ab ense notas:
Ordine nulla suo proscissa elementa recedunt;
Amisit formam nulla figura suam.
Nunc etiam num vana putas commenta, satelles,
Vulnere vera potes quæ didicisse tuo?

VI.

VI. *Junii*.

S. GUDUALI Monachi, & Archiepiſcopi.

EPIGR. XVII.

IMpete veſano ſacras irrumpit in ædes,
Latronumque furit conglomerata cohors:
Omnia dum vaſtant, agit anxia cura ſodales;
Expertes Divus ſed jubet eſſe metus:
Partiri incipiunt dum quæ rapuere, ſceleſtas
In cladem vertit rixa ſuborta manus:
Ictibus alternis cæſi mactantur; acervus
Sanguineæ cædis turba perempta fuit.
Quam fuit æqua Themis! plectunt ſcelera ipſa nocentes;
Prædaque prædones ſuſtulit ipſa ſuos.

ALIUD

EPIGR. XVIII.

IRatis frendens pelagus diverberat undis
Virgea quæ curvo littore tecta colis:
Vix prece ſolicitas Superos, immania cete
Cum tollunt rauco ſpumea terga ſalo:
Ardua ſubvectant humeris tibi ſaxa; tuentur
Sublatis humiles aggeribuſque lares.
Judice te, pontus reus eſt; dant vincula cautes;
Vaſtaque lictores ſunt tibi monſtra maris.

ALIUD

ALIUD

EPIGR. XIX.

DUm procul approperant te visere, Dive, sodales,
  Nigrescit densis turgidus imber aquis:
Illi iterant mœsti tua nomina, nubibus æther
  Ne pluvio optatum turbine tardet iter:
Omnia magnarum circum vis complet aquarum;
  Gutta gravat socios nec tamen una tuos.
Quæ, Præsul, rear esse tuæ miracula dextræ,
  Talia si solum pondera nomen habet?

VII. *Junii*.

S. PAULI Archiepiscopi Constantinopolitani, & Martyris.

EPIGR. XX.

TEr jussus terras exul peragrare remotas,
  Eliso laqueis gutture, Dive, peris.
Te jugulo errorum vecors petit Hydra; sagittis
  Illa perire timet dum jugulata tuis.

S. ROBERTI Abbatis Anglicani.

EPIGR. XXI.

DUxisti postquam jejunia longa, requiris
  Discusso Cereris lactea crusta fero:

Obla-

Oblata austerus refugis, tradisque Puello,
  Ore nitens escam qui rogat ante fores:
Munera sidereus sumit, quæ tradis, Ephæbus;
  Libare acceptam visus & ille dapem.
Non sapit Aligeri, quam porrigis, esca palato;
  Quam tibi, Dive, negas sobrius, illa sapit.

VIII. *Junii*.

SS. MEDARDI Episcopi Noviomensis, & GILDARDI Episcopi Rothomagensis.

EPIGR. XXII.

TEr felix partu mater vos edidit uno;
  Una fides geminos alligat, unus amor:
Præsul uterque sacras fulsit moderatus habenas;
  Funere mors demum sustulit una pari.
Postremo, haud ulla ut subeant discrimina, cingit
  Axe super Fratres una corona duos.

DE S. MEDARDO.

EPIGR. XXIII.

PRotegit expansis Puerum Jovis armiger alis,
  Fœdus inexpletis dum ruit imber aquis.
Tela ministrantem mentitur fama volucrem;
  Præstantem clypei tegmina, vera refert.

ALIUD

EPIGR. XXIV.

DIscordes agit in rixas, armatque colonos,
Qui lata incertus terminat arva lapis:
Tu puer, admistus turbæ, ter voce furentes
Accersis, gressus & celerare rogas:
Dum propere accedunt, saxo pede fixus inhærens,
Hic, inquis, rixas ponite, limes erat.
Impressæ hæserunt saxo vestigia plantæ;
Aspera ceu cautes cerea massa foret:
Obstupuere omnes; dirimunt miracula litem;
Sævaque deposuit rusticus arma furor.
Macte animis, generose Puer; cape læta futuræ,
Quæ clara à Superis omina laudis habes:
Qui certos statuit fines lapis arbiter agris,
Prodigiis non est terminus ille tuis.

IX. *Junii*.

S. PELAGIÆ Virginis, & Martyris.

EPIGR. XXV.

VIrginis ingenuæ castos armata penates,
Effrenoque furens impete turba petit;
Utque adeat sævi fulgentia tecta Tyranni
Imperat, haud ullas nectere jussa moras:
Fluctuat incertis Divæ mens ardua curis;
Assultu subito pectora pressa labant:

Non

Non mortem, dubii damnum pavet illa pudoris;
  Non torvi, blandi Cæſaris ora timet:
Certa mori, cupidis ardens amplectitur ulnis
  Quæ nova nutanti ſuggerit arma pudor:
Ut liceat paulum ſecedere, Principis aulam
  Et petere ornatu nobiliore, rogat:
Annuit hoſtilis cœtus; reſponſa Puellæ
  Nam Domino haud dubiè grata futura putat:
Illa ſed excelſi petiit faſtigia tecti;
  Et ſupero in præceps Flamine ducta, ruit:
Funere comperto, patuit fraus inclyta; vinci
  Armatoſque globos Virginis arte pudet.
Sæpe dolus, vicit virtus ſæpe ardua; vincit,
  Diva, tibi virtus aſſociata dolis:
Exſuperat virtus mortis diſcrimina, floris
  Virginei ſuperat certa pericla dolus.

ALIUD

EPIGR. XXVI.

SOlis, Diva, levis, gravis eſt jactura pudoris
  Jure tibi; pereat ne pudor, ipſa peris.

x. *Junii*.

SS. GETULII, CEREALIS, AMANTII, & PRIMITIVI MM.

AD S. GETULIUM.

EPIGR. XXVII.

PArcit, Dive, tibi, Socios qui ſuſtulit, ignis;
 Lambit adoratum fervida flamma latus:
Nodoſæ aſſiliens lictor ſed verbere clavæ,
 Corpora lethali vulnere nuda ferit.
Parcere tortoris potuit, cui flamma pepercit,
 Forſitan & voluit parcere, ſæva manus;
Sed perimit Divum properato fuſte; retortas
 In ſe ſe ultrices dum timet ille faces.

XII. *Junii*.

S. HONUFRII Eremitæ,

EPIGR. XXVIII.

SEx denas hyemes Phariis tranſegit arenis,
 Texta paludoſo vimine tecta colens:
Herboſæ adſtricto lateri dant cingula frondes;
 Promiſſæ condunt corpora nuda comæ:
Hirſutis horrens ſetis, & vellere cano,
 Non ſævis errat diſcolor ille feris:

Nul-

Nulla viri facies desertis cognita terris,
  Lustrorum series dum diuturna fluit:
Tecta sed ætherei Proceres angusta frequentant;
  Pabulaque enectis faucibus apta ferunt:
Assiduo noctes dum fixus in astra precatu,
  Pervigil assiduos continuatque dies,
Succedit tumulo: sed nil mutata sepulcro,
  Si tantum voces excipis, ora tulit:
Pallidus ora fame, exangui curvusque senecta,
  Arida contractis pellibus ossa ferens,
Confectus duris vitæque laboribus, annos
  Jam Divus longos ante cadaver erat.

S. ODULPHI Presbyteri.

EPIGR. XXIX.

ARentem Divi non tangit flamma bacillum,
  Omnia quæ circum depopulata vorat.
Qui dextræ servit, præstat miracula firmus
  Talia si baculus, dextera quanta feret?

S. JUSTINI* Philosophi, CHARITONIS, & Sociorum Martyrum.

DE S. CHARITONE, & Sociis.

EPIGR. XXX.

MAgnanimos Pugiles submittere colla securi,
  Lex a crudeli Cæsare lata jubet.
Præmia non umquam peritura merentibus excors
  Quæ sancit pœnas, lex sine lege fuit.

* De S. Justino diximus supra die XIII. Aprilis.

XIII. *Junii*.

S. AQUILINÆ Virginis, & Martyris.

EPIGR. XXXI.

OPtatæ Virgo flectit dum colla securi,
Vox iterat missa ex æthere; Sponsa veni:
Hæreret tortoris adhuc cum dextra, vocantis
Ad Sponsi voces occupat illa mori.
Gaudia præripuere locum properata dolori;
Pœnaque se claudos sensit habere pedes.

ALIUD

EPIGR. XXXII.

VIrginis extinctæ tortor caput amputat, illam
Gaudia nam celeri jam rapuere gradu.
Perfide, non est quod pœna læteris in ista;
Nam tua vel præceps dextera, lenta venit.

ALIUD

EPIGR. XXXIII.

NOn cruor abscisso Divæ de vertice manat;
Lactea sed vena divite gutta fluit.
Quæ vitam nimia amisit dulcedine, dulces
Pro largo fundit sanguine lactis opes.

ALIUD

ALIUD

EPIGR. XXXIV.

VIrginis effuso non manat sanguine cervix,
Vena sed in rivos deflua lactis abit.
Præpediit postquam felix sua funera, nempe
Emissa ad superas voce vocata plagas,
Exiliens Divæ dum cor cruor omnis inundat,
Quem posset cervix reddere, nullus erat.

XV. *Junii*.

S. FEBRONIÆ Virginis, & Martyris.

EPIGR. XXXV.

DUm furit in Divam ferro, flammisque Tyran-
Non diram satis est exsaturare sitim, (nus,
Sed nullum servans perfricta fronte pudorem,
Objecit medio corpora nuda foro:
Egregiam in laudem vertit sed fortis Amazon,
Probrosas effrons quas putat ille notas:
Ut nulla Athletæ pugnanti Insignia desint,
Prœlia nudato corpore clara ciet.

ALIUD

EPIGR. XXXVI.

NUda brevem tua membra ferent, Virgo inclyta, pœnam;
Confestim fluidus nam teget illa cruor.

ALIUD

EPIGR. XXXVII.

PRoſcindunt artus rorantia ſanguine flagra,
  Quæ rabido aſſiliens impete turba rotat:
Horrificant oculos dentati pectinis ictu
  Diſcerpta, & ſæva fruſta revulſa manu:
Ubera divellit gladius; coſtaſque cruentas
  Impactæ mordet cuſpis aduſta facis:
Ferrea ſica manus truncat; tremefactaque complet
  Defluus excuſſis dentibus ora cruor:
Pœna fatigatur; non deficit ira Tyranni;
  Non habet illa locum, non habet iſta modum:
Circumfuſa oculos avertit turba; cruento
  Diſcedit lacrimis & madefacta foro:
Horrida, cæde fruens, ſolus ſpectacula Princeps
  Suſtinet, immiti corde rigetque magis:
Sed fallor; tantas nam non immitia corda
  Virginis ad pœnas, nulla Tyrannus habet.

ALIUD

EPIGR. XXXVIII.

VIrginea poſtquam veſanus cæde Tyrannus,
  Et fuſo explevit ſanguinis imbre ſitim,
Occulto triſtis rodit ſua pectora morſu,
  Sævitiæ pœnas & luit ipſe ſuæ:
Ut reſonas taurus pulſat mugitibus auras,
  Dum figit lacerum cuſpis acuta latus,

Non

Non aliter rabido ſtridet clamore, nefaſtos
Et mœſtis complet queſtibus ille lares:
Fulgentes auro dextra diſcerpit amictus,
Irato laceras ſcindit & ungue comas:
Extremos demum, male dum veſtigia firmat,
Fluctuat incerto mentis inopſque gradu,
Dat gemitus; duræ caput alliditque columnæ;
Et cerebro ſpargit diſſiliente ſolum:
Ipſe ſui tortor periit: non ſævior illa,
Non fuit in cædes aptior ulla manus.

S. DULÆ Martyris.

EPIGR. XXXIX.

PRojecta Herois cuſtos canis oſſa tuetur,
Tortoris ſæva dilacerata manu.
Tortori vigilem liceat conferre moloſſum;
Ille canis rabiem prætulit, iſte fidem.

S. LANDELINI Abbatis.

EPIGR. XL.

ILlecebris captus, fucati & tabe veneni,
Primœvos duxit per ſcelus omne dies:
Non profecturo Stygia fornace ſodalem
Sed gemitu cernens fata ſiniſtra queri,
Indolet admiſſis; exactæ & crimina vitæ
Fletu non unquam deficiente luit:
Ante oculos ſemper regni feralis imago;
Ante oculos ſocii pœna perennis erat.
Conſule Tartareas, ſcandas ut ſidera, flammas:
Ad Superos certum monſtrat Avernus iter.

S. ABRA-

S. ABRAHÆ Abbatis.

Epigr. XLI.

Tartareas acies obsessis cedere membris,
In Stygias ædes & remeare jubet:
Carceris angusti vinctum squalentibus umbris
Extrahit ætherea lapsus ab arce Puer.
Disrupit sociis Erebi qui vincula, solvi
Siderea meruit vinctus & ipse manu.

XIV. *Junii*.

S. QUIRICI, & JULITTÆ Matris Martyrum.

Epigr. XLII.

INfantem Cæsar matris divellit ab ulnis,
Confestim rigido quam jubet ense mori:
Excipit ipse sinu lactentis membra Puelli,
Cui pingit niveas purpura prima genas:
Sed dum lacteolos attrectat morbidus artus,
Et molles blando provocat ore jocos,
Avertit refugus dejecta Infantulus ora;
Ingeminat querulos indocilisque sonos:
Illecebris instat magis ille; & figere pellax
Pertentat teneris oscula crebra genis;
Brachiolis obstat, resilitque exterritus Infans;
Improbaque objecta verberat ora manu:
Adversa haud tulit iratus luctamina Princeps;
Insanoque furit pectore spretus amor.

Ela-

Elato Infantem rapit in ſublime lacerto ;
Et duro illidit membra tenella ſolo.
Sed licet immitis contritus vulneris ictu
Sanguineo exanimis Parvulus imbre fluat,
Pœna tamen gravior fuit illi blanda Tyranni
Dextera, & inviſo decubuiſſe ſinu.

S. LUTGARDIS Virginis.

EPIGR. XLIII.

NUminis ut Sponſam rapiat violentus amator,
Armato clauſas obſidet hoſte vias:
Invadit trepidam, gladiiſque micantibus inſtat ;
Nulla capit cœcus frena pudoris amor:
Subtrahit inſani pavidam ſed militis iræ
Sidereus roſeo lucidus ore Puer ;
Devia per nemorum tutas deducit in ædes ;
Aſtraque, ſervata Virgine, celſa petit.
Crimina qui prohibet vel cælo aliena relicto,
Edoceat noxas te prohibere tuas.

ALIUD

EPIGR. XLIV.

EGregiæ flagras dum, Diva, cupidine palmæ,
Et gladii optato vulnere cæſa mori,
Pectora diſrupit flammantia nobilis ardor ;
Sciſſaque purpureo vena liquore fluit.
Sacrorum Pugilum æquaſti decora inclyta, Virgo ;
Plus quoque, ſi fas eſt dicere, laudis habes:
Palmigeri cœtus Feritas violenta cruorem,
Traxit Amor tacita cuſpide, Diva, tuum.

ALIUD

ALIUD

EPIGR. XLV.

DUm feſſos artus male ſuſtinet ; ardet ad aram
Sumere vitalis puraque liba dapis ,
Deducunt mediam ſacræ ad convivia menſæ
Cæleſtis gemini quos habet aula Duces .
Eſca eſt Aligerûm ; Aligeri duxere ; nitentes
Aligeros inter tertia Diva micat .

XVII. *Junii.*

SS. MANUEL , SABEL , & ISMAEL Martyrum .

EPIGR. XLVI.

VOs , gladio cæſos , ſubjectis ignibus uri ,
Diſpergi & cineres Cæſaris ira jubet :
Ferro colla cadunt ; ſed tradere membra favillis
Dum ſævo flagrans turba furore parat ,
Emeritos Pugiles confeſtim terra dehiſcens
Fxcipit , excuſſo ſciſſa tegitque ſinu .
Corpora tuta manent Heroum ; corda Tyranni
Livida ſanguinei flamma parata vorat .

S. AVI-

S. AVITI Presbyteri.

EPIGR. XLVII.

DEvius errabat paſtor, cui, ſidere lævo,
Nativo torpet lingua retenta gelu:
Nocte vagus cœca jubar illuceſcere cernit,
Quod procul oſtioli pervia rima jacit:
Approperat, nixus genibus, converſus ad aſtra,
Divus ubi virgis conſità tecta colit:
Admiſſus, nutu, deprenſo noctis in umbra,
Annuat ut faculam ſuppeditare, rogat:
Obtulit ille facem; dumque alter vertice prono
Lætus abit, voces lingua diſerta dedit:
Diriguit paſtor; ſeſe & ſtupet ipſe loquentem,
Qui linguæ nullos noverat ante ſonos:
Prodigio attonitum rurſum obmuteſcere credas;
Sed jam, Dive, tuo munere liber erat.

S. VULMARI Abbatis.

EPIGR. XLVIII.

IMmanis vacuo concluſus cortice plantæ,
Traduxit ſolidos, & ſine ſole, dies:
Languidus eſurie feſſos vix ſuſtinet artus;
Elatas ſuplex vertit ad aſtra manus.
Ubere quæ fœtu, tam dextro & ſidere tantos
Germinat in fructus, non fuit arbor iners.

ALIUD

ALIUD

EPIGR. XLIX.

CLarefcit Divus meritis illuftribus: olli
 Sed domus eft nudo ftipite truncus iners:
Marmore fed contra non raro dives, & auro
 Eft domus; at Dominus nonnifi truncus iners.

ALIUD

EPIGR. L.

FUr Divi ftabulum penetrat nocturnus, adunca
 Quadrupedem lætus furripuitque manu:
Sublati fefforis equus vix pondera fenfit,
 Cum rapido velox arripit ungue fugam:
Per juga, per valles, lati per jugera campi,
 Perpetua furem nocte folutus agit:
Mane novo ad proprium remeavit equile; relicti
 Atque ipfas ftabuli fubftitit ante fores:
Fur virga ciet ad curfum; nil percitus hæret,
 Immotoque magis figitur ille gradu;
Iratus fubigit calcaria; faxeus obftat;
 Ceu pelagi crebro verbere pulfa filex:
Interea Divus poftes recludit; abacto
 Defiliit latro fed pudibundus equo;
Dum pedes ingrediturque viam, non ceffat inermem
 Quadrupedem vanis increpuiffe minis:
Quid quereris? non exigui tibi præda lucelli
 Nam fupereft; favit pulcra Laverna tibi:

De-

Debueras furtum tu reddere; parce labori;
Solicitum non te triste gravabit onus:
Hanc sonipes curam subit ipse vicarius; ipsum
Se Domino furtum restituitque suo.

XVIII. *Junii*.

S. LEONTII Martyris.

EPIGR. LI.

QUi celeres certā in cædem te, Dive, requirunt,
Tu palmæ socios adjicis ipse tibi.
Felices errore suo; dum funera captant,
Nancisci vitam qui meruere suam!

XIX. *Junii*.

S. ZOSIMI Martyris.

EPIGR. LII.

NUdatos postquam generosi Militis artus
Igniti excepit ferrea lamna thori,
Durities illum non lædit ahena metalli;
Irrita suppositæ languet & ira facis:
Dum recubat molles inter ceu stratus olores,
Blandaque porrectum ventilat aura latus,
Hoc solum rabie Cæsar profecit inani,
Surgat ut ad pœnas fortior ille novas.

XXII. *Junii*.

S. ALBANI Martyris Anglicani,

EPIGR. LIII.

HInc, illinc amnis ſuſpenſis ſcinditur undis,
Ut Divo ſicco tramite pandat iter;
Ardenteſque ſiti fauces ſurgentibus undis,
Ut levet, in rivos arida ſaxa fluunt.
Sidera ſic ubi fauſta ſinunt, ſunt flumina pumex;
Eſt pumex gelidæ rivus opimus aquæ.

XXIII. *Junii*.

S. EDILTRUDIS Reginæ Virginis.

EPIGR. LIV.

REgia ſceptra gerens, clara dum regnat in aula,
Cuſtodit caſtos intemerata thoros;
Conjuge mox rapto, ſacro velatur amictu;
Innuptique colit caſtra pudica chori.
Virginei ſolium decoravit laude pudoris;
Regina auſteros nobilitatque lares:
Anguſto latitans tecto, radiantia ſerta
Excipe, regalis cætera ſortis habet;
Regnantemque olim, ſacris e Matribus unam,
Si cana excipias vela, fuiſſe putes.

S. MA-

S. MARIÆ Oegniacensis.

EPIGR. LV.

DUm votis supplex flagrantibus astra fatigat,
Hæret & æthereis pectore fixa plagis,
Sunt Divæ irrigui fletus duo lumina fontes,
Qui vena nunquam deficiente fluunt:
Rore superfuso sudaria complet; inundat
Exsuperans tepidos fervida gutta sinus:
Imbre fluit tenero, cum sol micat aureus; umbras,
Et tenero, cum nox porrigit, imbre fluit:
Perfruitur rivis gestitque liquentibus; ambit
A grato semper rore madere genas:
Sordescunt illi, tellus quæcumque ministrat
Gaudia; præ lacrimis desipiuntque suis:
Scandere forte timet, si fas est dicere, cælum,
Noscit ubi nullum fletibus esse locum.

ALIUD

EPIGR. LVI.

DIva vocat merito assiduos sua gaudia fletus;
Nam lacrimis palmas irrigat illa suas.

ALIUD

EPIGR. LVII.

DUm Diva extremo decumbit languida morbo;
Exiliens læto carmine dulce canit.
Dulcia jure iterat moriens modulamina, fletu
Quæ duxit vitæ tempora longa suæ.

ALIUD

Epigr. LVIII.

HOrridus e cælo dum corruit imber aquarum,
Et latos rapido gurgite complet agros,
Fronti grata tuæ nubes umbracula præstat,
Et tutum sicco calle relinquit iter.
Densa tibi merito, quæ decidit, unda pepercit;
Uda mades lacrimis nam satis ipsa tuis.

S. CRISTINÆ Virginis Mirabilis.

Epigr. LIX.

DUm feretro recubant tua corpora, Diva, pererras
Tu varias supero Flamine vecta vias;
Luctisonos lustras ignes fornacis Avernæ,
Cocyti & rigido stagna revincta gelu:
Pervia mox pœnis, culpis impervia regna,
Emeritas acies spes ubi torquet, adis.
Lucida progrederis rapido super astra volatu;
Mira ubi tu rerum, sed reticenda, vides:
Inde sacram, mœstis resonat quæ cantibus, ædem,
Funereo & repetis membra relicta thoro:
Exsurgis loculis; summi, mirabile, dictu,
Culminaque ad templi corpora viva rapis.
Quas modo lustrasti, pertentas nempe supernas
Si queat alatum corpus adire plagas.

ALIUD

ALIUD

EPIGR. LX.

MOrs iterum duro poſtquam tua lumina ſomno
Clauſit, & exanimi pallor in ore riget,
Te ſoror appellat, ſecretis anxia curis;
Pectoraque ut releves irrequieta, rogat:
Tu reſerans oculos reddis reſponſa ſorori;
Atque iterum mortem, bis rediviva, ſubis:
Accedis, refugiſque ſimul revolubilis; aſtu
Decipitur, Virgo, vitaque, morſque tuo.
Supremo pugnant alii luctamine mortis;
Diva, tibi vita cedere, ludus erat.

ALIUD

EPIGR. LXI.

FIgere faſtidis, Virgo, veſtigia terræ,
Turritos apices, ardua tecta colis:
Plantarum levibus ſubſiſtis pendula ramis,
Vix ubi, dulce canens, ſiſtere poſſet avis:
Debilitent rigidum quamvis jejunia corpus
Aſpera, membra tamen tu, licet ægra, trahis:
Non tibi ſunt humeris alæ; ſed fallor: Amoris
Tu ſuperi penna remige celſa petis.

ALIUD

EPIGR. LXII.

PRæcipiti in rapidos curſu nunc irruis ignes;
Merſa tremis fluvii nunc glacialis aquis:

Te mola circumagit, celeri versatilis ictu,
Quæ Cereris fruges irrequieta terit;
Sentibus horrentes per agros tua membra volutas,
Conteris æratæ cuspidibusque rotæ:
Suspensis laqueo indecori latronibus addis
Pendula ferali tu quoque colla trabe.
Non ego compactam duro te marmore credam;
Contigit aerei nec tibi massa globi;
Sanguine, ni fallor, scissus non defluit aer;
Marmora nec sensum dura doloris habent:
Quid dicam? torquet, nunquam placabilis, artus,
Prodigiosa simul pœna regitque tuos.

XXIV. *Junii*.

S. ROMULÆ Virginis.

EPIGR. LXIII.

LEthifero teneros morbo gliscente per artus,
Extremos Virgo dum trahit ægra dies,
Ante fores acies geminæ stellantis Olympi
Cælestis pulsant fila canora lyræ.
Non ego quæsierim, læti quæ carmina cantus,
Barbita quos dederint pectine pulsa sonos:
Sidereæ liquida captam dulcedine chordæ,
Sed miror Divam sic potuisse mori.

S. LUPICINI Reclusi.

EPIGR. LXIV.

MOle fatiscente, & corrosi rudere tecti,
Extremo clausus lustra rigore trahit:

Non

Non ſatis eſt, ſi membra fame languentia torquet,
Gutturaque arenti ſi domat uſta ſiti;
Immanis collo ſuſpendit pondera ſaxi;
Et repit nuda corpore curvus humo:
Quamvis non illi compages ſaxea pondus,
Ut ſuperas arces ſcanderet, ala fuit.

S. SIMPLICII Epiſcopi Auguſtodunenſis.

EPIGR. LXV.

Feſta dies cogit cœtus in templa profanos,
Ritus ut à priſcis concelebratur avis:
Impia Cœlicolûm fumant altaria Matri;
Sacrilegis ardent thura Sabæa focis:
Non tulit indignos auſus; ſuplexque Tonantem
Præſul, ut evertat ſacra ſceleſta, rogat:
Marmorea extemplò effigies procumbit ab ara;
Ad validas Divi conteriturque preces.
Dic, age nunc, Superûm menſę quę prima recumbis;
Pectore quo, Cybele, turpia probra ſubis?
Ad juga quæ domitos nectens aurata leones,
Sidera turrito vertice celſa teris,
Cui lætis ſaliunt choreis, & cymbala pulſant
Aenea ſemiviri, turba comata, Phryges,
Cœlicolûm quæ magna Parens ſubſellia cæli
Prima colis, nutu Præſulis icta ruis.
Probroſa hoc ſolum ſolabere damna; ruentem
Impete qui cœco te comitentur, habes:
Diruta procumbit tecum tua celſa propago,
Turba Deûm; lapſus aſſociatque tuos:

Dum nequit in præceps actæ succurrere Matri,
Ipsa etiam turpi victa pudore cadit.

XXVI. *Junii.*

S. PROSPERI Aquitanici Episcopi Regiensis.

EPIGR. LXVI.

TRansferri extinctus Præsul, mandatq; sepulcro
Ornari cineres nobiliore suos:
Adnisi quærunt confestim marmora, condit
Quæ Parus, & niveo Tænarus alba sinu.
Laudo pios animos; verum decora alma supersunt,
Queis cultu tumulus splendidiore micet:
Bellator fortis, quæ stravit sidere dextro,
Errorum valida ponite monstra manu:
Pactoli hic Divus plusquam flaventis arenas,
Gemmiferi & plusquam munera Gangis habet.

S. ADALBERTI Confessoris, & Levitæ.

EPIGR. LXVII.

MArmore Tænareo fulgentia templa sepulchro
Publica dum pietas tollit ad astra tuo,
Trabs brevior, tecti culmen fultura, retardat
Quod celso nitidum vertice surgit, opus:

Sed

Sed mœsto artifices cessant dum pectore, sponte
Produxit molem longior illa suam.
Arida quæ tigni vegetaret robora, virtus
A Divi tumulo proxima Solis erat.

ALIUD

EPIGR. LXVIII.

OCeanus placidis fluctus ubi frangit arenis,
Assurgunt pompa divite templa tibi:
Spumea raptores qui verrunt æquora, præda
Advertunt illuc alliciente rates:
Vix littus tenuere, nigro velamine nubes
Desuper obductæ cum sacra tecta tegunt:
Huc, illuc frustra errantes delubra requirunt,
Invia quæ tenui tecta vapore latent;
Decepti abscedunt: ædes sed rursus ab alto
Clarescit, nitido lumine visa procul:
Littora flagrantes repetunt; sacrique sub auras
Vanescunt iterum, nube tegente, lares:
Lassarunt dubias postquam sacraria plantas,
Attonitos referunt ad freta salsa gradus.
Quò fugitis? quæ vos terret fatalis imago?
Roscida num sacrum quæ tegit umbra tholum?
Quo magis obscuræ nigrescunt tegmine nubis,
Templa micant oculis hoc magis illa meis.

XXVI. *Junii*.

S. ANTHELMI Episcopi Bellicensis.

EPIGR. LXIX.

ÆGra tuos cineres quæ stipant agmina, salsis
Irridet scurræ lingua petulca jocis:
Scommate pro diro gliscens per viscera tabes
Olli continuò proxima fata tulit:
Vim pestis dum nulla domant medicamina, supplex
Subsidium spreti Præsulis ore rogat:
Convaluit; noxæ veniam Divumque reposcit;
Sacraque, despexit quæ prius, ossa colit.
Nimirum subitus prostravit corpora morbus,
Liber ut a mentis surgeret ille lue.

XXVII. *Junii*.

S. SAMPSONIS Hospitum Exceptoris.

EPIGR. LXX.

HOspitium peregre advectis, molemque super-
Collato grati Principis ære, parat: (bam,
Respirat trepido longarum errore viarum,
Dum petit optatos extera turba lares:
Excipit errantes, seu fessos æquoris unda,
Seu tulerit variis terra remota plagis;
Sarcinulas humeris adimit, subvectat & ipse,
Solatus rigidæ tædia dura viæ:

In-

Inſtruit ipſe focos, & largius explicat ignem,
Torrida ſi gelido frigore membra rigent:
Candida ſubnectens lateri mantilia, fœdos
Solvit, odorato tergit & imbre pedes:
Expandit nitidæ depexa toralia menſæ;
Et reficit lauta languida membra dape:
Carpere mox placidos laſſato corpore ſomnos
Alliciunt mundi candida lina thori.
His ubi promeritis explevit tempora vitæ,
Axe ſuper Divus præmia digna tulit.
Degener accepto ſed torpet munere, Divi
Qui ſubiit ſacra primus in æde vices:
Enervat lentos deformis inertia mores;
Molliaque ignarus pectora languor habet:
Objurgat Divus ſegnem delapſus ab aſtris,
Dum longo deſes membra ſopore fovet;
Hoſpitibus poſthac vigileſque impendere curas,
Fuſte minax cædens corpora nuda, docet.
Hoſpita curavit non paucis agmina luſtris;
Nunc ipſum curat verbere Xenodochum.

FINIS

INDEX
SANCTORUM
PARS I.

A

An-

Car-

D

E

El-

F

G

Ger-

H

I

Ioan-

L

Lu-

M

N

O

P

Pe-

S

T

Theo-

V

Zoe-

SANCTORUM

Z

ZOerardi Monaci, & Benedicti Mart. 135
Zenobii Episc. Florentini. 162.
Zozimi Mart. 191.

FINIS.

ERRATA	*CORRIGE*
Pag. 76. S. SILVESTRI	S. SUVIBERTI
Pag. 147. S. NICOLAI	S. MAIOLI

